TRACTATUS DE NATURA SALIUM.

SIVE

Dilucida descriptio, perfecta explanatione declarans naturam, proprietates, & usus salium vulgò notorum, ut & alius cujusdam, admodum mirabilis, & hactenus mundo ignoti salis, cujus adjumento omnia Vegetabilia, Animalia, & Mineralia, sine ponderum suorum diminutione, & formarum mutatione in dura, & incombustibilia corpora transmutari possunt:

CUM

Demonstratione firmissima, quod sal (post Deum & Solem,) unicum sit principium, solaque origo, propagatio atque augmentum unicum cunctarum rerum, ex quo maximus totius Mundi thesaurus, & maximæ divitiæ erui queant.

ITEM

Tractatulus parvus, & compendiosus de Salium, Metallorum, & Planetarum signaturâ.

In Dei omnipotentis honorem & gloriam, Luminisque Naturæ amplificandi, & declarandi causa descriptus & in lucem editus operâ & studio

RUDOLPHI GLAUBERI.





AMSTERODAMI,

Apud IOANNEM IANSSONIUM.

ANNO MDCLIX.


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

Ad Benevolum

L E C T O R E M.



Ultiplices, ac varii cibi sive ex carnibus, sive ex piscibus parati, licet optimi esse censeantur, si sale non conditi in mensâ appositi fuerint, nullo palatum delectamento afficere vulgò feruntur; utpote qui nec saporem delicatum exhibent, nec corporis valetudini conducunt. Extrà veri fidem non excedere effatum hoc tritum & vulgare, quivis & facilè animadvertet, & fide facili admittet, si accuratâ mentis acie pensitaverit, salem inter ciborum condimenta primas tenere, nec par sibi aliud ullum habere, tantum abest, ut ex tot unum ipsi præferendum sit. Tanti autem Thesauri excellentes & admirandæ virtutes ac dotes dignissimæ sunt, quæ mortalium mentes indesinenti investigatione, & inquisitione occupatas teneant, quibus inquirendis & declarandis præsenti meo labore operam dare constitui, utpote qui quindecim aut sexdecim annorum spatio hactenus nil prius & antiquius habui, quàm ut laboribus meis qualibuscunque Divinæ Gloriæ, & publico Bono inservirem. Primo ete-

nim conatu meo opus quinque partium ſerie de Furnis Philoſophicis agens in lucem produxi, ac quinque detexi Furnos variis deſtillationum modis aptatos, ac excellentibus medicamentis, quæ varios ac diverſos morbos Humanum corpus affligentes debellant, artificiosâ præparatione parandis idoneos detexi, quas utiles & artificioſas inventiones hactenus antè me nemo revelavit.

Sequutum eſt Opus Minerale Mineralium & Metallorum originem atque emendationem commonſtrans: Cui ſucceſsit Pharmacopœa Spagyrica tribus partibus tractans de Vegetabilibus, quo pacto medicamenta ex ipſis efficacia paranda ſint.

His proximum fuit de admirandâ Salispetræ Naturâ & Proprietate opuſculum, quo ſolidè demonſtratur ſalium cunctorum miraculum illud verum fuiſſe ſolvens univerſale Philoſophorum, quod omnium hominum, ſummorum & imorum, divitum & pauperum uſui inſerviat. Miraculum mundi illud opuſculum appellavi; Explicatione, & Continuatione auxi, atque contrà invidorum & Riſorum inſultus nefarios munivi defenſione, & apologia. His cunctis miracula Divina, & Naturæ my-

ſteria

steria huic Mundo in maximâ cœcitate versanti ob oculos posui.

Accessit alius tractatus sub Prosperitatis Germaniæ titulo, quatuor libellis, quorum duo posteriores in lucem hactenus non prodierunt, prodituri tamen brevi, si Deus vitam mihi prorogaverit, utilissima œconomiæ, & administrationis rei familiaris præcepta complectens.

Opusculum itidem aliud, cui titulus, consolatio navigantium, docens, quâ ratione, in itineribus & navigationibus longinquis in Indiam Orientalem & Occidentalem institutis, navigantes contrà famem, sitim, aliasque, ejusmodi, quibus obnoxii esse solent, incommoditates se defendere, sartosque & tectos conservare possint.

Porrò tractatus de Tartaro, Aceto, Vinique Spiritu eorum facilem apparatum & præparationem indicans.

Adjunxi his ipsis Tractatum de Auro Potabili, & alium de Medicina universali, sive Auro Potabili Vero, & alia scripta Apologetica, quibus non modò perfidam hominum infidelitatem sed etiam plures excellentes scientias revelavi, ut his ipsis scriptis omnibus Gloriam Divinam illustrarem, ac commodum & emolu-

mentum proximi mei quærerem, ipsique tanquam eximios cibos, animam pariter, & corpus reficiendi gratiâ apponerem.

Ac licet dicti cibi propriâ suâ naturâ salsi, salubres, & boni saporis sint, salemque suum Naturalem contineant, operæpretium tamen visum mihi fuit eosdem quasi novo sale aspergere, & salsamento quodam condire, ut eo majore appetentiâ & voluptate gustari possint. Et ad hoc faciendum eò proniore sum animo, quò studiosius operam dare conor observando Veterum Doctorum præcepto præcipienti, ut sine sale nullus cibus mensæ imponatur. Etenim more antiquo receptum est, ut in bonâ rei familiaris administratione salinum primo apponatur, & cæteris cibis omnibus præmittatur, nec prius è mensa dematur, quàm cæteri cibi omnes remoti fuerint: Id quod indicio est, salem utilissimum ac maximè necessarium donum Dei jure ac meritò apponendos in mensa cibos præcedere, & post illos ultimum removeri. Ut autem nobilissimum hoc munus Divinum ignorantium cœtui melius innotescat, & notius, quam antehac, fiat, intermittere non possum, quin paucis, & quasi obiter, quantum quidem temporis ratio in præsentia mihi indulserit,

dulserit, ejus ingentem & admirandam efficaciam, in Humani Generis commodum adumbrem & depingam. Pauca verò & compendiosa hæc, rogo, Miraculorum Divinorum studiosus æqui bonique faciat, nec parvi pendat, reliqua in aliorum piorum, & sedulorum virorum scriptis inventurus, si plurium cognoscendorum desiderio arserit.

Quantum igitur attinet ad originem salis totius terræ nutritoris, & sustentatoris, qui ex Oceano tanquam universali promptuario depromitur, opinionum divortia exorta scriptores in diversas ablegarunt partes, & sententias. Salinos fontes, qui in multis ac variis terræ locis ex scaturiginibus suis erumpunt, & coctionis beneficio salem suum expromunt, quidam opinantur non ex Oceano suum ortum ducere, sed ex sale, in plurimis Globi terreni locis, peculiariter instar metallorum generato, & nato. Argumento hoc opinionem suam stabiliunt, quod fontium istorum aqua salsedine suâ marinam sæpè multum excedit, & è contrario hæc per prolixos terræ meatus provecta salsedinem suam necessariò prorsus amittit, & salem suum relinquens planè dulcis, aut insipida prodire debet. Ratio hæc adeò veritati consen-

tanea primo aſpectu videtur, ut vix aliter ſe rem habere quis arbitrari poßit. Plæræque etiam aquarum dulcium ſcaturigines ortu ſuo primo ſalſæ fuerunt, quæ meatus terræ penetrantes ſalem ſuum, ut terram nutriat, in eâdem depoſuerunt, & in Generis Humani uſum quotidianum dulces eruperunt. Unde tot ac tàm variis fluminibus ortum præbuêre, revertentibus iterum in mare, ſeu Oceanum, Univerſale illud promptuarium, ex quo indeſinente fluxus reciprocatione ſalem petunt, eundemque terræ communicant, ut hoc pacto nunquam nutrimenti debiti penuriâ laboret, ſed ejuſdem perpetui mineralia, lapides, frutices, arbores, gramina, beſtias & ipſos homines participes reddat, atque ita tam irrationalium quam rationalium animalium ſuſtentationi, propagationi, & conſervationi inſerviat; id quod nemo rationis ac mentis ſuæ compos negare poterit. Niſi forſan Circulationem Sanguinis Humani in corpore humano, ceu Microcoſmo quodam, quæ haud paucis ignota eſt planè, & incognita, negare, & dicere velit ſanguinem in minimo manus aut pedis digito, in ſiniſtrâ aure, aut aliis locis non oriri ex Hepate univerſali ſan-

li ſanguinis fonte, ſed à Spiritu Vitali particulariter in illis ipſis locis generari, & produci, id quod abſurditatem haud exiguam ſapit.

Cum igitur ſanguinis in Microcoſmo indeſinens Circulatio tanquam veriſſima nullo modo negari queat, quidni & talis in Macrocoſmo ſeu orbe terrarum Circulatio, ut vera non admitteretur? Sicut enim Sanguis Humani Corporis ex jecore exoriens per omnes totius corporis meatus, & venas tàm magnas quàm parvas ſe diffundit, totiusque compagis vitam conſervat, ac omnes partes nutrit, & auget, meliorem ſuccum, qui in carnem, oſſa, cutem, & capillos mutatur, in ipſis membris, ut nutriantur, & augeantur, relinquendo, atque Phlegma inutile per cutis poros expellendo: Ità etiam comparatum eſt cum totius Macrocoſmi nutrimento, & alimento, univerſali, dum ſine intermiſſione aqua illa ſalſa, ex Mari magno ſive Oceano totum Orbem terrenum ambiente, per multos parvos & magnos meatus, ceu venas, terræ partes omnes perreptat, & illas ſale ſuo nutrit & ſuſtentat,

 ut

ut mineralia; metalla, lapides, arenæ, limi, frutices, arbores, gramina nutriantur, crescant, & crescendo incrementa sua sumant. Reliqua aqua sale omni liberata, tanquam superfluum quiddam in superficiem exterminatur, ac in varias scaturigines tàm parvas quàm magnas diffusa, haud aliter, ut in Microcosmo Sanguinis superfluus sudor, per innumerabiles meatus & poros expellitur. Quod autem in plurimis terræ locis salem aqua non relinquat, sed secum educat, hoc diversis de causis fieri omninò verisimile est. Primò namque antiquus ille Paterfamilias Divina sua providentia sapienter admodum ordinavit, & instituit, Generis Humani commodo prospiciens, ut ejusmodi aqua salsa, qua homines carere nullò modo possunt, è terra erumperet. Ea de causa quibusdam terræ locis ab igni centrali aqua marina passim meatus & hiatus transiens exsiccatur, & in dura ac grandia frusta coagulatur, quæ labore humano eruta & effossa, & aquæ adjumento soluta, atque sordibus suis liberata in ahenis idoneis excoquuntur, atque in salem purum rediguntur.

Si verò contingat, ut aliæ aquæ inmeatibus terrestribus, quos transeunt, ejusmodi frusta

salis

ſalis coagulata offendant, ejuſdem tantum ſolvunt, quantum ſecum auferre poſſunt, ac poſtea variis modis in ſales excoquuntur, prout majorem vel minorem ſalis copiam ſecum avexerint.

Quod autem hic ſalis fons locupletior exiſtat, & ille minore copia ditatus ſit, in cauſa eſt allabentis aquæ, & ſe ſalſæ aquæ aſſociantis copia major, vel minor, quæ hanc debiliorem reddere ſolet.

Hæc pauca ſufficiunt refellendæ opinioni eorum, qui fontes ſalinos non ex mari originem ſuam trahere, ſed peculiariter in terra aſtrorum adjumento excitari & naſci ſtatuunt. Forte an & hoc quoque poſſe fieri credibile eſſet; credibilius tamen illud videtur, quod Sol & aſtra radios & influentias ſuas in Oceanum & maria demittentes ſalem in iis generent, tot terrarum poſtea meatus pervios penetrantem, & terræ nutrimentum debitum advehentem.

Copiæ ſalis in fontibus majoris aut minoris & hæc cauſa adferri poſſet, quod meatus iſti ſalſam ex mari aquam recipientes ſitu differant locorum & differentiam ſuam ſortiantur ab aqua ipſa marina, quæ varia & multiplex miro diſcrimine inter ſe diſtat.

Nam

Nam quò propius aqua marina ad Septentrionem occedit, eò minorem ſalis copiam continet, adeò ut ſæpenumero vix decimam, aut vigeſimam ſalis partem comprehendat.

Quò verò Meridiei, aut Orienti propinquior eſt, eò majori ſalis copiâ locupletatur. Eâ de causâ in Indiæ Orientalis, aut Occidentalis partibus haud paucis mare tanta ſalis vi turget, ut tempeſtatis impetu vehementiore concitatum copioſam cum fluctibus ſpumam in litus ejiciat, ſolaribus radiis poſtea exſiccatam, & in ſalem redactam, quo incolæ ad condiendas carnes, & piſces uti ſolent. Experientia docuit, quod in ejuſmodi locis aquæ marinæ quatuor libræ unam ſalis expromant, tantæque Salis abundantiæ indicium eſt ipſa terrarum iſtarum fertilitas, quæ ſine ullo cultu & labore humano, æſtivis æque ac hybernis menſibus incolas præſtantiſſimis fructibus ditant. Tanta fertilitate non gaudent regiones ad Polum Arcticum propius admotæ, ideò quod & ſolis radios majores & penetrantiores deſiderant, & non exhibent tantam multitudinem ſalis, qui omnis fertilitatis cauſa exiſtit, idcircò infrequentiore præſentiâ ſuâ dictis regionibus tàm largam & ſpon-

taneam fructuum fertilitatem denegant.

Ut autem ſal, quem imperiti in poſtremis habere conſueverunt, in majore habeatur honore, diutius nomen ipſi debitum ſilentio præterire nec volui nec potui, ideoque ipſum maximum Mundi theſaurum, & ampliſsimas divitias nuncupavi.

Hoc titulo inſigniendum eſſe ut probem, & demonſtrem, præter hunc unicuique notum, communem & abjectum ſalem, in quo omnium Creaturarum vita, conſervatio, accretio, & propagatio conſiſtit, & qui omnium rerum principium & finis eſt, majorem in terra theſaurum non reperiri; neceſſe erit, ut, quàm breviſsimè illud fieri poterit, infallibilem myſteriorum Dei & Naturæ veritatem in apertum producam.

A Lectore autem nullius præjudicii opinione occupato obnixè peto, ut ſibi offendiculo eſſe non patiatur vilitatem abjecti & contempti ſalis, nec etiam putet, me ipſi hoc titulo exhibendo, ac illum totius Mundi theſaurum maximum, & maximas divitias appellando, modum exceſsiſſe, nimioſque honores ipſi exhibuiſſe. Pertinent enim jure ac meritò ad ipſum tanti honores, tantuſque titulus,

adeo-

adeoque majori adhuc insigniendus esset, si major ipsi attribui à me posset. Facile autem mihi persuasum habeo, si auri sacra fame correpti hunc libellum aspexerint, titulum legerint, quod nihil aliud mente sua concepturi sint, quam ipsius Universalis Magni descriptionem, aut magnarum divitiarum, & ingentium thesaurorum revelationem, quam se in hoc tractatu inventuros sperabunt, ne somniaturi quidem, abjectum & contemptum salem in medium hic proditurum, ideoque dicturi: An de manipulo salis tantus clamor excitandus est? Quis Glauberum tanto titulo salem insignire ausum fuisse putasset? Sed obnixè abs te contendo, mi amice, ut patienter ea, quæ de sale tibi hoc scripto ob oculos pono, perlegas, & accuratè examines, ut me puram putam veritatem scripsisse deprehendas. Si mentis tuæ captum superant, eademque tu hactenus ex aliorum libris nec didiceris, nec intellexeris, hoc tibi in mentem veniat velim, non omnes omnia cognita habuisse, & Deum omnipotentem posteris, multa reliquisse, quæ superbos & scientia inflatos hactenus celavit. Lege ac perlege Veterum Philosophorum scripta verißima, ut cognoscas, & pernoscas, viros, illos, qui in-

intima Naturæ penetralia excusserunt, salem magni quidem fecisse, sed de industria ingratum Mundum ejus mysteria & arcana celasse, quæ his ultimis temporibus jam in apertum producit, tibi & omnibus aliis tanquam incomparabilia dona gratissimo animo suscipienda.

Arrige aures Pamphile, aperi oculos tuos cæcitate, & tenebris obductos, attende ad bona ea quæ tibi de sale depredico; si periculum feceris, & cuncta examine accurato perscrutatus fueris, an cum Deo, Natura, & Veritate conveniant, nullum mihi dubium est, quin magna lux mentem tuam illustratura, & te quasi renovatum hominem factura sit. Sin autem superbo atque elato animo eadem, quæ & discere, & intelligere recusas, ludibrio habueris, in stultorum vervecum censu, & numero versaris, in eodemque perpetuo manebis, licet ipse Aristoteles, omnesque Professores, & Doctores longis tuis auribus asininis insideant, & tu iisdem, sicut Asinus sacco, tuam stultam superbiam, & superbam stultitiam velare coneris. Longè satius est, multa scire, & se modulo suo metiri, quàm nihil scire, & vanissimo ignorantiæ suæ fastu se efferre. Nunquam

vidi

vidi aliquem, qui ſcientiâ verâ præditus ſe aliis prætulerit; quamplurimos contrà deprehendi, qui invidiâ, odio, & inhumanâ malitiâ incitati, nihil prius & antiquius habuerint, & habere adhuc ſoleant, quam ut piis, quibus Divina Benignitas dona ſua conceſſit, inſultent, eoſque ludibrio habeant, & Theonino dente rodant, quod facinus Diabolicum ſuo tempore Divina Iuſtitia impunitum non dimittet. Hoc tibi velim capias, ſuperbe cavillator, & ad ea jam attendas quæ de ſale dicturus ſum.

TRACTATUS De NATVRA SALIVM.

I. *De Natura Salis.*

VT compendio demonſtretur, quam plurima bona, imò, ſi animæ noſtræ ſalutem excipias, ſummum bonum temporale, ſummam valetudinis humanæ conſervationem, ſummas divitias, ſummos theſauros, & quæ alia ad humanum uſum neceſſaria ſunt, plenè & plane in ſalis corpore abjecto latitare, primò audienda ſunt ea, quæ Chriſtus Servator noſter ipſa Veritas, ipſa Lux, & ipſa Vita de Sale dixit apud Evangeliſtam Lucam cap. 14. v. 34. & Marcum cap. 9. v. 50. *Sal*, inquit, *bona res eſt*. Apud Lucam autem cap. 18. v. 19. *Nemo*, ait, *eſt bonus*, *niſi Deus ſolus*. Suos verò Diſcipulos ſalem terræ nominat, additque *ſi ſale terra careat*, *inutilis eſt*, *nec fructus profert*; ipſumque fimum ſine ſale nulli uſui eſſe poteſt. Idem eſt, ac ſi diceret: Sal nobiliſſima totius mundi res eſt, & tamen apud ſtultos abjectiſſima & contemptiſſima. Huic ſimiles eſtote, & Dei voluntatem facite, ac tanquam Mediatores ad Deum peccatores deducite, quod aliter fieri non poteſt. Caput veſtrum

 ſum,

ſum, Magiſter veſter, & Anteceſſor veſter; Meis veſtigiis inſiſtite, me ſequimini; Ego ſum via, &c. Verba hæc Domini noſtri Ieſu Chriſti maxima myſteria occultant, quæ homines debito examine non perpendunt, ſed tantum obiter, & quaſi per tranſennam inſpiciunt, & legunt. Sed hoc ſciendum eſt, Chriſtum ne unicum quidem verbum fruſtrà pronunciaſſe, & dictum quodvis ex ſancto ejus ore profectum maximi momenti myſteria occulere, quæ ne milleſimus quidem intelligere, capere, & credere poteſt. Unde hoc niſi à peccato, ſuperbiâ, mundanâq; ambitione & vanitate, quibus corda hominum adeò plena & diſtenta ſunt, ut nihil ſpirituale admittere poſſint, & velint. Vaſi aquâ fœtidâ, & venenatâ repleto pretioſum & nobile vinum, aut jucundi ſaporis medicamentum ſi velles infundere, illa ſalubri medicamento non cederet locum, & ſuccus nobilis effuſus profuſione inutili periret.Ità etiam cum ingratiſſimo, & perverſiſſimo hoc mundo hodierno comparatum eſt, in quo maxima hominum pars corda ſua, ſenſus, & cogitationes omnes, terrenis & caducis rebus ad ſummum oppleverunt, adeò ut nihil omninò Divinarum rerum recipere queant. In culpâ eſt deteſtabilis Satanas, qui Zizaniorum copiam tantam hominum cordibus inſevit, ut tritico utiliſſimo nullus locus relinquatur. Si circumſpexerimus, & actiones hmmanas cunctas probè inſpexerimus, rem veriſſimam comperiemus. Feix eſt ille, qui tempeſtivè ad frugem ſe recipit, & à malitiæ viâ declinat.

Ad

Ad ſalem redeuntes audiamus, quæ aliorum de ipſo ſententia fuerit. Philoſophorum ſcripta prolixis verbis hîc citare & adducere opus non eſt, cum in promptu ſint, & unicuique ex ipſis pateat, quod ipſum, poſt Deum, ſolem & ignem, nobiliſſimam creaturam æſtimaverint, & quaſi Divinis honoribus affecerint. Ethnici ſine igne & ſale Diis operari non potuerunt. Vetus & Novum Teſtamentum perlegens, Deum ipſum ſalis rationem habendam mandaſſe, invenies. Apud Sanctum Evangeliſtam Marcum reperitur, omnes homines igne, & cuncta ſacrificia ſale condienda, & lampadem, aut lumen in altari nunquam extinguendum, ſed in continuo ardore conſervandum. In Eccleſiâ Chriſtianâ ſemper hic mos obſervatus eſt, ut nullus infans baptizaretur, niſi præſente aliquo lumine, aut candelâ aliquâ: imò à ſacerdote parum ſalis ori ipſius baptiſati inſereretur his verbis: *Accipe ſal ſapientiæ*; quaſi diceret: diſce Deum intelligere & percipere, & noli evadere Mundana Beſtia, quæ nullo intellectu prædita eſt. Hæ ceremoniæ adhuc hodiè in locis nonnullis obſervari conſüeverunt. Græca Eccleſia aqua & igne baptizat, eoq; ritu indicat, igni ſimilem eſſe Spiritum Sanctum, quia corda hominũ rigida calefacit, vivificat, & ad Deum convertit. Deus ipſe conſumentem ignem ſe nominat, Spirituſq; Sanctus ſemper figurâ ignis apparuit, & linguis ignitis ſe in Chriſti diſcipulis oſtendit. Abyſſini ſub potentiſſimo Rege Sacerdote Iohanne in

Africâ Chriſtianam Religionem profitentes aquâ & igne baptiſant, & frontibus hominum baptiſatorum ſignum inurunt. Ut in pauca conferam, non eſt inter Ethnicos, Judæos, Turcas, ipſosque Chriſtianos ullus, qui ignem & ſalem in maximo pretio non habeat, de quo tamen amentibus non innotuit plus, quam porco, vaccæ, aut aliis beſtiis irrationalibus, quæ ſine intellectu vitam tranſeunt. Duæ autem hæ Creaturæ Dei, ignis nimirum, & ſal in Naturæ fundamento unum ſunt, & idem. Nam ignis ſalem produxit, & hic in ignem, ille in ſalem revertitur, ità ut mutua converſione ſemper unum in alterum commutetur. Ideò dixit Hermes omnium Philoſophorum Pater; Superius eſt ſicut quod eſt inferius, & inferius eſt, ſicut quod eſt ſuperius, ſicuti legere eſt in Tabula ejus Smaragdina. Sol ſive ignis eſt ſuperiùs, ſal inferiùs, qui inſtar ſolis vel ignis facili negotio combuſtibilis redditur, prout in plurimis ſcriptorum meorum locis docui, ipſique Philoſophi omnes unanimi conſenſu fatentur, quod maximum ſecretum in igne & ſale abſconditum lateat. Hinc Alchimiæ natum vocabulum ex igne & ſale, qui omnia penetrant, ipſeque ignis ſymbolum eſt Dei, qui figurâ ignis ſe conſpiciendum ſemper exhibuit: Sal verò æternitatis ſymbolum, eò quod à corruptione cuncta defendat & conſervet. Chriſtus Lux Mundi, ejus vero Diſcipuli ſive Apoſtoli ſal Terræ nuncupantur. Si mihi liceret,

liceret, dilucidè & aperte cuncta hæc demonſtrarem. Sicut Chriſtus & Diſcipuli ejus, qui ſal terræ fuerunt, Sancti Evangelii dilatatione quaſi Medium extitêre, cujus adjumento peccatores Deo reconciliati ſunt; Ità etiam Magni illius universalis Veterum Philoſophorum beneficio in corporibus humanis reconciliatio fieri ſolet, ut cæteris paribus aliquam comparationem inſtituamus. Nam perditus & à Deo rejectus peccator, aliâ ratione Deo reconciliari non potuit, niſi Deus verbum ſuum per Spiritum Sanctum in corpus hominis alicujus, nempe Virginis Mariæ miſiſſet, ut ibi caro fieret, & naturam humanam aſſumeret, ſicut Johannes Evangeliſta in Evangelii ſui principio teſtatur, dicens: *Et Verbum caro factum eſt, atque inter nos habitavit*, &c. Neceſſe fuit, ut Divinitas ſe humiliaret, humanam naturam aſſumeret, pateretur, moreretur, ac reſurgeret, antequam homo lapſus, & rejectus Deo reconciliaretur. Nam homo homini in hoc caſu opem ferre non poterat, ſed requirebatur talis auxiliator, qui plus quam homo Divinæ & Humanæ Naturæ particeps eſſet, ut pro homine patiendo & ſatisfaciendo eundem cum Deo in gratiam reduceret. Poſſet hic aliquis quærere, & dicere; Cur fecit hoc Deus, qui facilè Satanam inhibere potuiſſet, ut Serpentem non ingreſſus fuiſſet, & hominem per illum non ſeduxiſſet, & ad lapſum impuliſſet? Ità enim non opus fuiſſet, ut Verbum Dei

caro ſieret, pateretur, ac moreretur. Sed mi homo, ſcias, Deum hoc non voluiſſe, ſed potius illud, quo homini Bonum ac Malum propoſuit, ut ità Omnipotentiam ſuam monſtraret, & manifeſtaret.

Cur Satanas ſerpentem ingreſſus eſt, & ejuſdem ope hominem ad lapſum incitavit? Ideò ut Deus imaginem reconciliationis nobis proponeret.

Cur Moſes in deſerto æreum ſerpentem erexit, & Iſraëlitis mandavit, ut illum aſpicerent, cum à ſerpentibus morderentur? Ideò nimirum, ut omnes à ſerpentibus icti veneno, liberarentur aſpectu illo, & priſtinam ſanitatem recuperarent. Typus fuit crucifixionis Chriſti, qui tanquam anathema pro nobis cruci affixus eſt, ut nos omnes unanimitus, & seriò ipſum invocantes à veneno, & morſu Diaboli, Serpentis illius infernalis, liberi evaderemus. Haud aliter ſe res habet cum admirandâ illâ Veterum ſapientum medicinâ, quod factâ comparatione admodum dilucidè demonſtrare poſſem, ſi per homines imperitos, & iniquos rerum judices mihi liceret, & non verendum eſſet, ne in malam partem raperent. Ut tamen guſtum aliquem præbeam, non poſſum, quin paucis hæc attingam. Sicut Deus ab æterno immutabilis eſt, & manet, & pro ſuâ Voluntate Divinâ poſt Mundi creationem ex terrâ hominem formavit, eidemque divinum ſuum ſpiritum inflavit, ut maſſa illa terrea vitam nacta fuerit: Poſtea coſtam ex corpore ipſius demptam in

fœ-

fœminam mutavit, homini ita adjutricem adjungens: Utrique in paradisum deducto de omnium arborum fructibus edere concessit, excepto unico fructu arboris scientiæ Boni & Mali: Satanas verò invidiâ & odio in Genus Humanum incensus tantam felicitatem hominis ferre non potuit, sed in Serpentem astu plenum ingressus Evam seduxit, & per hanc seductam Adamum impulit, ut Divinam legem transgressus unà cum uxore suâ de pomo vetito comederit, atque ità se in æternam pœnam & damnationem conjecerit, in quâ ipsi in æternum manendum fuisset, nisi Deus ipsius misertus per Spiritum suum Sanct. in Virgine Mariâ Verbum suum carnem fieri, & naturam humanam assumere voluisset, cui facto homini, & utriusque naturæ participi secundum humanam suam naturam patiendum, moriendum, tertioque die ex sepulchro resurgendum fuit, ut innocentiâ suâ pro Adami & Evæ, totiusque Generis Humani peccatis plenissime satisfaceret, & miseros homines cum Deo in gratiam reduceret. Ità etiam Universalis Medicina Philosophorum in Metallis Auream naturam cæteris, & in Corporibus Humanis sanitatem pristinam restituit, & in utrisque amissam recuperat, & reconciliat, postquam per passionem & mortem resurrexit, & ad summam sui perfectionem deducta est. Illa Christi reconciliatio & satisfactio pro Humano Genere cœlestis est, Hæc verò per Medicinam Universalem Elementaris, adeò tamen

priori comparabilis & conveniens, ut etiam quilibet Ethnicus, Turca, aut incredulus, hujus Operis Philoſophici cognitionem adeptus, proculdubio confeſtim Religionem Chriſtianam veriſſimam ſit agniturus, & faſſurus. Ideo mihi perſuadeo, Ethnicas Sybillas, & diverſos Philoſophos, qui adeò clarè de Deo, ejuſque Filio ſcripſerunt, illud nunquam facturos fuiſſe, niſi hoc ipſum Opus Philoſophicum ipſis innotuiſſet. Ut ut ſit, & ſive ipſi ex Spiritus Sancti revelatione habuerint, ſive ex Lumine ipſius Naturæ hauſerint, probè ſciverunt, ut ſcriptis ſuis teſtantur, Deitatem Trinam, atque Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum eſſe, licet omnia hanc cognitionem concernentia non tam clarè, perſpicuè & diſtinctè tradiderint. Quâ de re nulla hic eſt diſputandi occaſio, cum illud ſolummodo innuere voluerim, ſi paganus aliquis, aut nomen Chriſti non profeſſus, ſive Turca, ſive Judæus aut Ethnicus veræ Philoſophiæ cognitionem poſſideret, ipſum in ſuo paganiſmo non diutius manſurum, ſed, Chriſti doctrinâ ipſi revelatâ, à conſcientiâ convictum neceſſariò falſam ſuam de Deo opinionem depoſiturum, & Chriſtum agniturum, & confeſſurum eſſe. Atque hoc extra omne dubium, & omninò eſt infallibile. Nam ſiquis Moſen, & Prophetas, Novumque Teſtamentum atque Apoſtolorum ſcripta legendo pervolverit, atque cum Naturali Opere Philoſophico contulerit, cuncta adeò clara & aperta offen-

offendet, ut fieri non possit, quin in admirationem summam ipsum raptura sint admiranda illa Naturæ mysteria, quibus Lumini Naturæ concessis Deus se toti Mundo manifestare voluit. Mosen, Christum, ejusque Apostolos probè intelligenti nequaquam opus est, ut Philosophici Operis meditatione, & investigatione multiplici cerebro suo multum negotii facessat, cum omnia apertè, & expresse conscripta in ipsorum scriptis offendat, præcipuè apud Mosen lib. 1. Genes. & Apostolos, ut & ab initio Evangelii Johannis, ubi diligenter perpendenda sunt sequentia verba: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat illud Verbum, per quod omnia facta sunt, & sine quo nihil factum est.*

Ac quanquam Moses, Prophetæ, & Apostoli nonnisi de Divinis rebus loquuti sunt, & Divina docuerunt, de Philosophia, aut Lumine Naturæ parum solliciti, utpote qui longe meliori, Christi nimirum Lumine, quod Naturali longè præstat, illuminati erant, nihilominus tamen ipsorum scripta Naturæ Lumini convenientiâ suâ exacte respondent, & ipsos quasi ex professo Philosophos & Universalis Medicinæ professores fuisse arguunt. Cur autem Deus omnipotens hæc omnia fieri permittat, nostrum non est disputare, qui à Sacra Scriptura ad æternam salutem, à Lumine Naturæ autem ad Universalem Medicinam, ad Deum atque Naturam ex ea cógnoscendam ablegamur.

Prophetas legentem necessario magna admiratio subeat necesse est, quod tot ac tàm multa mirabilia memoriæ prodiderint, perinde ac si Philosophiæ & Physices peritissimi extitissent. Unde mihi non immeritò fit verisimile, totam Naturam ipsorum oculis patuisse, quippe hominibus Spiritu Sancto, cui nihil occultum est, præditis. Sunt qui Evangelistam Johannem Hermeticam Philosophiam intellexisse statuant, Hymnusque adhuc restat in ejusdem Johannis honorem ab Antiquis Patribus compositus, & decantatus, in quo hæc verba occurunt; *Qui ex virgis facit aurum, gemmasque ex lapidibus.* Uniuscujusque judicio tamen hæc permitto, & hoc solum hîc dico quod Cœlestia & terrena mysteria Prophetæ & Apostoli cognita explorataque habuerint.

Quanquam verò nunquam tantum opus Philosophicum conficiendum in manus sumpserim, adeò tamen mihi ex Prophetarum, & Apostolorum scriptis, atque ipso Naturæ Lumine notum est, ut facilè, Divina & humana inter se conferendo, illud oculis subjicere possem. Sed ea faciendi potestas mihi non concessa est, ideoque confido, neminem mihi hæc pauca in malam partem interpretaturum esse, Gloriam Dei, & commodum proximi mei in his scribendis tantum spectanti. Plura non est cur quis apud Veteres, & Novos Philosophos quærat, cum Mosis, Prophetarum & Apostolorum Divina Scripta legendo & considerando

ſiderando voti ſui compos fieri, & abſque dubio in iis Lapidem Philoſophorum deſcriptum reperire queat, ſi parvam modo Naturæ cognitionem habuerit. Plura non dico, niſi quod infallibilis veritas in iis occurrat. Hæc omnia ità accipienda ſunt, ut Divina divino, & Elementaria ac Naturalia Elementari ſenſu intelligantur ſine mutuâ commixtione, quandoquidem nullam communionem inter ſe habent.

Ne vero alicui abſurdum eſſe videatur, quod S. Johannes Evangeliſta ex bacillis aut virgis aurum confecerit, & ex lapidibus gemmas, ut Hymnus dictus docet, arte profecto grandi & admirandâ; imperitis aperire,& monſtrare operæpretium duxi, quo pacto illud fieri poſſit.

S. Johanni primò hoc factu poſſibile fuit, viro quippe Spiritu Divino abundè ditato, & Sapientiæ ſale condito, ità ut ſupernaturaliter hâc actione defungi potuerit, æquè ac naturaliter, cum Spiritu Sancto præditus etiam ipſum Lumen Naturale omni dubio procul in poſſeſſione ſuâ habuerit.

Utracunque verò ratione hoc effectui dederit, ſcire noſtrâ nihil intereſt, nec ſcire nos etiam oportet. Quia verò pauci illud mente aſſequentur, & credent, quod naturalibus mediis S. Johannes idem operatus ſit, multi tantum fidei Naturæ & Arti non habentes dicent,

fieri

fieri nunquam poſſe, ut lignum in aurum & gemmæ in lapides tranſmutentur. Ac quamvis poſterius aliquo modo credibile, ob cognationem inter lapides & gemmas haberi queat, prius tamen ob lignorum & metallorum, utpote ad diverſa regna pertinentium, ſummam diſcrepantiam planè omnem fidem excedere objicient, aliaſque objectiones ejuſmodi in medium proferent, apud imperitos ob ſpeciem externam locum quidem inventuras. Sed Philoſophis talia nullam admirationem, multò minus dubium aliquod movere ſolent, cum ipſos non fugiat, quanta familiaritas intercedat Vegetabili Regno cum Minerali, quæ duo revera ex iiſdem ſubjectis, aqua nempè, ſale, & igne oriunda ſunt, quod ipſorum anatomia clariſſime demonſtrat. Quanquam verò hoc alicujus captum ſuperat, non tamen inde ſequitur, id verum non eſſe. Si verè & apertè omnia dicenda ſunt, eorum, qui Naturam rectè intelligunt, exiguum numerum reperiri fateor, cum tamen ferè omnes, quicunque, per aliquot ſaltem annos ſcholam frequentarunt, & aliquid Latinitatis adepti ſunt, ſive Naturam intelligant, ſive eam ignorent, pro Philoſophis haberi velint, Naturæ Lumine illuminatos Philoſophos miris cavillationibus & mendacibus convitiis traducant, & ubique ſe ignorantiâ ſuâ efferant. Idcirco mirum non eſt, quod Naturæ ſecreta in occulto lateant, & ab imperitis ejuſmodi Vervecibus omnia ea pro fabulis, ger-

ris,

ris, & ineptiis anilibus habeantur, quæ ſuis cerebris Vervecinis capere nequeunt.

Sed quis huic incommodo mederi poteſt? Mundo ſui perverſi mores relinquendi ſunt. Ego ut probem, & demonſtrem, arti omninò poſſibile non eſſe Lignum in Aurum tranſmutare, quo pacto id fiat, indicabo.

Primò quidem, & antè omnia conſtat, omne lignum, omnemque herbam originem ſuam acceptam ferre ſulphureo cuidam ſali, ad quem & Metalla ortum ſuum referunt, eoque nomine intimâ convenientiâ, & ſimilitudine maximè convenire, ita ut quàm facillimâ mutatione Minerale in Vegetabile, & hoc iterum in Minerale converti ſe patiatur, quod in aliis meorum ſcriptorum locis ſignificavi. Si externa intuearis magna profectò inter Lignum aliquod aut herbam, & Metallum differentia ſe conſpiciendam offert; Sed ad primam ſuam materiam reverſa & reducta nullo diſtant diſcrimine, ut ex continuatione Miraculi Mundi liquet. Si igitur Vegetabilium Prima Materia ſemini alicui Metallico adjungatur, hoc illâ nutritur; Et vice verſâ, ſi Metallum in Primam Materiam reductum, eique Vegetabile aliquod ſemen inſitum fuerit, illud in Vegetabile mutatur, quod experientia mihi ſepè commonſtravit. Si hæc duo ſibi adeò affinia non eſſent, etiam tàm facile mutationem illam mutuam

tuam non admitterent. Semine inter se diffident, primâ verò Materiâ conveniunt, quod inde apparet, si sal sulphureus non corrosivus arenæ misceatur, ac aquâ humectetur, ipsique semina herbarum diversarum inserantur. Nam unumquodque Semen inde suum nutrimentum attrahit, quodvis secundum speciem suam sui simile producens variis coloribus, odore, & sapore proprio, virtutibusque & viribus propriis præditum, quæ cuncta ex unico sale nec colores, nec saporem, nec odorem, nec tale quid actu possidente prodeunt, & caloris ex solo sole exeuntis beneficio, Archeique interni operatione manifestantur.

Ut clarius rem ob oculos ponam, hoc sciendum est, Vegetabilium principia esse aquam, salem, & sulphur, ex quibus & Metalla originem capiunt, & non ex currente Mercurio, ut multi opinantur. Argentum enim illud Vivum sua natura peculiare quoque est Metallum ex illis ipsis Principiis tribus natum, ex quibus cætera Metalla & Vegetabilia ortum suum trahunt, nimirum ex aqua, sale & sulphure, quod Anatomia ipsorum manifestum facit.

Hîc imperitorum turba consiliis communicatis de hac mea sententia refellenda deliberabunt, utpote quæ paucis fide digna videbitur. Incredulitatis autem hujus causa est imperitia & ruditas ejusmodi hominum, qui nullo tentamine

mine res naturales aggreſſi & Luminis Naturæ radiis neutiquam illuſtrati talpis omninò cœciores exiſtunt. Equidem, quæ hactenus toties, ac tot verbis inculcavi, eadem hic repeto, & affirmo: Metallum videlicet in vegetabile, & hoc in Metallum converti poſſe, nullumque reperiri Vegetabile ex quo Naturale & flavum Sulphur, Minerali Sulphuri in omnibus ſimile, parari non queat: Paratumque hoc ex vegetabili aliquo ſulphur, ſi fixo alicui ſulphuri Metallico adjungatur, ab eodem in Metallum maturari, non tamen ſine medio ut ſæpenumero in ſcriptis meis indicavi, & medium illud ſalem eſſe dixi. Quicunque igitur immaturum aliquod ſive Minerale, ſive Vegetabile ſulphur maturo alicui Metallo adjungere noverit, fixum, & conſtans Auri, & Argenti ſulphur non fixo Vegetabili & Minerali ſulphure nutriet, & augebit, hecque in alterius ſpeciem & proprietatem tranſmutabit, prout fermentum album, aut rubeum fuerit, perinde ac herbæ alicujus ſemen etiam facit. Ità ex ſulphureo ſale Aurum vel Argentum fieri poteſt, ſecundum arbitrium alicujus; id quod tamen tempus debitum requirit, quandoquidem ejusmodi tranſmutatio ſenſim & gradatim calore ad eam idoneo perficitur, ſicut in Vegetabilium & Mineralium propagatione fieri etiam ſolet.

Ex his videre eſt, tranſmutationem hanc merum Naturæ opus eſſe,quod plurima experimenta, quæ feci, & adhuc facere poſſum, liquidò demonſtrant; Ideoque non eſt cur alicui talia adeò mira, aut abſurda videantur.

An S. Johannes tranſmutationem, de qua diximus,naturalis alicujus artis adjumento præſtiterit, an vero Virtute Divina eandem effectui dederit, nulla hic diſputatione ventilamus, cum nobis, Naturali ratione talia præſtari poſſe, hic demonſtraſſe ſufficiat.

Quando enim lignum,panis, aut oſſis fruſtum, vel quævis etiam herba ſuo ſali debito ex artis more adjuncta, & in primam Materiam reducta fuerit, ſal ille ipſe farinam, panem, lignum aut herbam illam in ſulphureum ſalem tranſmutat, qui Vegetabilibus & Mineralibus creſcendi facultatem auget. Ejuſmodi ſal in pulverem redactis ſilicibus albis, & quidem paucis mixtus, & igne fortiore liquatus rubrum & pellucidum dabit lapidem, aut vitrum, quod diuturniore igne ſi ufferis, viride, ac tandem, inſtar carbonis, nigrum evadit, tantamque duritiem acquirit, ut cæterorum lapidum pretioſorum more ſcindi atque poliri queat. Videt hic artis avidus, una, eademque via, & uno eodemque tempore ex ligno Aurum, & ex albis ſilicibus pulchros, atque pellucidos lapides variorum colorum parari poſſe. Ut autem Divinorum, & Naturalium rerum ſtu-

studioso oculi melius aperiantur, quid materia prima sit, clarius exponam.

Quod igitur attinet ad primam hanc Materiam, cujus hic mentionem fecimus, quod ex ipsâ non minus Metalla, quàm Vegetabilia nasci possint, sciendum est, eam quàm facillimè ignis, & cujusdam salis non corrodentis adminiculo ex Metallis, Vegetabilibus, & Animalibus comparari posse; & quidem adeò celeriter, ut trium horarum spatio panis, carnis, aut Metalli alicujus frustum in sulphureum salem transmutetur. Idem accidit quoque in bestiarum, & hominum stomachis, in quibus Vegetabilia, & Animalia comesta viginti horarum intervallo consumuntur, & in sulphureum illud sal transmutantur, ex quo ortum suum traxêre. In Metalla nimis fixa & compacta stomachi illi nihil juris habent, utpote quæ in primam materiam reducere nequeunt, nisi eadem in primam materiam prius reducta, & radicali solutione aperta in stomachos illos veniant, atque ità ab iisdem, Vegetabilium & Animalium instar, digerantur, & consumantur. Sed quid opus est stomachorum humanorum ope talia perficere, cum facilius ignis & artis auxilio ejusmodi operationes perfici queant. Putrefactio humida sine ignis adjumento in Animalibus, & Vegetabilibus longi temporis progressu idem præstabit; Sed in Metallis admodum difficulter, & nonnisi temporis

ſpatio longiſſimo? Nec ipſi ſtomachi Humani cuivis Vegetabili ad primam Materiam reducendo ſunt pares, utpote qui in ea tantum Vegetabilia vires ſuas exercent, quæ aptâ præparatione prius idonea ſunt reddita, ut à Stomacho digeri, concoqui & in primam Materiam converti valeant. At enim prius coquuntur, elixantur, & aſſantur, aut alio quovis modo parantur, ac prætereà haud exigua eorum pars apparatum illum neutiquam admittunt, quippe quæ Naturæ Humanæ penitus contraria & in corpus hominis admiſſa nihil niſi venenatam operationem exercitura eſſent. Pari ratione Mineralia & Metalla in Humano ſtomacho ad Materiam primam redigi detrectant, cum ſtomachus ipſa tolerare neſciat, ipſaque Naturæ Humanæ adverſantia, tanquam venenum aliquod, non ſine magno vitæ periculo ejecturus eſſet. Aurum hic excipio, quod unicum Metallum prius ritè præparatum in hominis ſtomacho reductionem in primam Materiam non refugit; non tamen neceſſariam, quam faciliorem, & promptiorem Ars ſubminiſtrat. Ei, quem artificioſa hæc reductio latet, Naturalis ſatisfaceret, faſtidioſa tamen, & ob fœtorem, longiſſimumque, quod requiritur, tempus fugienda. Quo nomine & Natura hic Arti poſthabenda. Ex Veteribus quidem Philoſophis nonnulli Animalium ſtercora haud immeritò magni fecêre, ob vires incredibiles, quas reconditas poſſident.

dent. Verum quoniam Medicamenta aptiora, & magis idonea in promptu habemus, non ſine ratione illa omittimus, & iis relinquimus; qui meliorum inopiâ laborant; quod uſu venit Agricolis ab Urbibus & Pharmacopoliis remotioribus, apud quos, in variis morbis ſtercoribus Medicamentorum loco uti, in more poſitum eſt. Muſcerdis minorum murium puellarum & puerorum corpora purgant. Equinum & anſerinum fimum, aquâ, cereviſiâ, aut vino ſolutum, per linteolum expreſſum, & propinatum, in Morbo Regio per ſudorem curando, uſurpant: In Eryſipelæ locorumque igne aut aquâ fervidâ aduſtorum curâ, porcino ſtercore utuntur: Ovillo autem in omnis generis tumoribus; Canino albo in Anginâ, aliiſque colli vitiis, atque humano, quod inſciis contra varios internos, & externos corporis humani defectus propinare ſolent. Admiranda curâ quodam tempore nomentaneam opem ſtercus humanum tuliſſe memini diuturno cuidam morbo, quem planè & celeriter removit, jure in admirationem rapiens eos, qui tàm celeris curæ rationem ignorant. Qui ſtercoris Naturam & Proprietates intelligit, facile ſibi perſuadet, quod eodem mirabilia effectui dare poſſint. Ratio in promptu eſt, quia ſtercus humanum nihil aliud eſt, niſi panis, & caro in primam ſuam Materiam reducta, omnibus vinculis ſoluta, & ad vires ſuas exercendas

idonea. Sine magnâ autem difficultate ex humano ſtercore Naturale Sulphur ardens, & Minerali, ex quo carbonibus & ſali petræ admixto Pulvis tormentarius confici ſolet, elicitur; ut & ſal quidam à Paracelſi Sale Enixo haud multum abludens. Utrumque autem, ſulphur nimirum illud, & ſalem illum, ſtercus humanum in ſe continet; quæ quin mirificis operationibus ſuas vires mirabiles prodant, nemini dubium videri poſſe arbitror. Aureum nummum per tempus ſtercori humano impone, ac poſtea abluendo purga, æquè flavum offendes, ac ſi jacuiſſet in lixivio, in quo vulgare Sulphur Minerale diſſolutum eſt. Flavedo autem illa Argento adhærens nihil aliud eſt, niſi Vegetabile aut Animale Sulphur ortum ex cibo, quem homo comedit.

Hæc, inquam, cauſa eſt, ut hominum, ac beſtiarum ſtercora tantos producant effectus, quos panis & caro aliâs producere neſciunt, antequam in primam materiam redacta fuerint. Nec tamen ideò in Medicamentorum cenſum ipſa admitto, quippe tantum indicans, unde ſuas habeant vires reſiſtendi morbis humanis, ut hoc pacto afferam, Vegetabilia, Animalia & Mineralia tum demum ſuas vires maximè exercere, cum ad Primam Materiam redierint, nec omninò neceſſarium eſſe, ut illud in Animalium ſtomachis fiat, cum ignis

gnis solius operatio ad reductionem illam sufficiat. Hâc quocunque modo factâ, Materia prima utraque nempe quæ per Animalium stomachos effecta, aut quæ per ignis operationem comparata est, haud magno operationis discrimine sejunctæ sunt in eo tantum differentes, quod illa per ignem facta purior existat, nec tanto fœtore nasum feriat, quanto illa, quam Animalium stomachi dedêre, quamvis in deaurando Argento, pares viribus inveniantur, & sulphuream Naturam obtineant. Hinc & in pane, & in carne Aurum fugax, spirituale, & immaturum latere constat; Eâque de causâ concludo, quod in omnibus Mundi rebus ex sale natis, & solis calore maturatis necessariò fugax, volatile, & spirituale Aurum reconditum sit, in uno tamen subjecto majori copiâ, quàm in altero, licet planè non animadvertatur, nisi tum demum, quando corpus illud continens ad primam materiam artis ope rediit. Quæ ars cum tanquam ignota Rusticorum captum superet, æquum est, ut sua & cæterorum Animalium stercora in usum adhibeant, id quod nemo ipsis in malam partem interpretabitur. Nam in viribus potentioribus & majoribus producendis stercora potentiora deprehenduntur iis rebus, ex quibus prodierunt. Panis, vinum, caro similiaque corporis nutrimento destinata medicamenta non sunt, sed tantum nutrimenta, ex quibus postquam Animale corpus suum alimentum

ſeparavit, quod reliquum eſt, Medicinales vires, & virtutes nanciſcitur. Niſi vererer, ne ſtercorea hæc Diſſertatio nimis procul à propoſito me abduceret, admiranda de ſtercoribus memoriæ proderem. Nam etiam Metalla præparata adhuc ſemel Animalium operâ mirabiliter converti, & ad primam materiam reduci poſſunt, quamvis neutiquam neceſſarium ſit, ut talem illam conſequendi rationem ſuſcipiamus, quibus facilior & melior ſine Animalium operâ modus in promptu eſt. Hujus artificioſæ converſionis neſcius illâ alterâ contentus ſit oportet, donec ipſum experientiæ documentum ad meliora deduxerit. Incredibiles in Animalium ſtercoribus virtutes medicinales latitare, quondam in magnatum quorundam præſentiâ narravit Paracelſus nonnullis ex Medicorum turbâ imperitis, qui ardentes irâ diſceſſerunt, & ſe magnâ contumeliâ à Paracelſo affectos eſſe arbitrati ſunt, quod magnum aliquod Secretum Medicinale ab ipſo poſtulantibus humanum ſtercus exhibitum fuerat. Proculdubio autem ipſis, in materiâ tali magna ſecreta abſcondita innuere voluit, quæ ipſorum captum vervecinum ſuperabant, non verò incomparabile ingenium Paracelſi, qui arcana iſta ſibi comperta ipſis extra omne dubium revelaſſet ſi irâ inflammati non abiiſſent. Alicubi in ſuis ſcriptis expreſſis verbis, qui, inquit, ſuum proprium ſtercus non novit, nihil omninò ſcit

cœcuſ-

cœcusque est asinus, cui de cœlo, & terrâ nihil quicquam constat; Quæ verba satis apertè arguunt, stercore Paracelsum multa præstare potuisse. Hoc autem assero, quod hæc mea transmutatio & conversio rerum in primam materiam illi, quam stercora operantur, longissime antecellat, eò quod efficaciâ majori prædita non stercoris, sed Sulphurei Salis specie in conspectum prodit, & commodè ab omnibus in quibusvis morbis usurpari potest. Virtutes ejus non ad specialem aliquam ægritudinem restrictæ sunt, sed generaliter non solum in omnibus morbis humanis, sed etiam in cæteris Vegetabilium & Mineralium infirmitatibus, & defectibus efficacissimè operantur, sicut in aliis scriptorum meorum locis ostendi. Quæ de stercoribus hic in medium attuli, non eo fine huc illata esse scias, ut pro medicamentis in usum adhibenda voluerim; sed eam ob causam, ut monstrem differentiam insignem inter herbam ex terrâ enatam, & eam, quam prius digestam Animalis stomachus vinculis suis liberavit, & ad virium latitantium operationem reduxit: id quod Animalium stercoribus luculenter admodum probavi. Medici experti, & docti est, omissis stercoreis medicamentis, Spagyrica operatione herbas suas ad primam materiam, id est, sal sulphureum reducere, ut plura & majora ejusmodi salibus præstet, quam inutilibus, & omnium virium

operatione deſtitutis corticibus, putaminibus, & paleis, quibus Medicorum turba hodierno tempore uti conſuevit.

Hæc pauca de prima materia rerum, & ſtercorum, haud magno diſcrimine inter ſe diſſidentium in medium proferre operæpretium duxi: Ad ipſam rem redeamus, & videamus, quàm pulchrè Lumen Naturæ ex Divino Lumine eluceat.

Sicut Deus primum hominem Adamum ex terrâ formavit, eique vivam animam inſpiravit, ac Paradiſum ſedem conceſſit; Diabolus autem à Deo abduxit, atque in æternam damnationem præcipitavit, adjumento utens ſerpente, & mediatore: Ità etiam homo, qui à Satanâ deceptus à Creatore ſuo defecit, per Divinum Serpentem, & Mediatorem, nimirum Jeſum Chriſtum, Deo reconciliandus fuit, quod aliâ ratione fieri non potuit, atque Deus ità fieri permiſit, qui aliâs Diabolo frenum injicere, & ipſum impedire quo minus hominem ſeduceret, aut etiam ipſum Satanam in ſtatu ſuo Angelico conſervare potuiſſet, ut nullo in Deum aut Homines odio inflammatus fuiſſet. Cum hoc Myſterio Cœleſti poteſt, cæteris paribus, comparari Elementare ſecretum Philoſophicum. Nam ſi Elementaris ſol in ſeparatione à Deo factâ, in quâ ſe ex informi Chao in altum elevavit, impurum, terreſtre, ac corruptibile ſuum ſulphur

non

non ejeciſſet, ac in terræ abyſſum relegaſſet, jam ſolis radii quando terram feriunt, non impedirentur puram perfectionem & conſtantiam communicare liberis ſolaribus, adeò ut Terræ viſcera nonniſi Aurum productura, & cætera Metalla, nimirum ferrum, plumbum, ſtannum, Cuprum &c. non futura fuiſſent, quæ tamen impura naſcuntur impuritatem ſuam acceptam ferentia ſulphuri illi impuro, fœtido, & terreſtri, quod corpori Metallico in terræ viſceribus miſcetur.

Ejuſmodi ſulphure igitur infectis Metallis ſi auxilium ferendum, ut Auro, tanquam veri ſolis filio, ſimilia evadant, neceſſe eſt, ut ſol filium ſuum, nempe Aurum humiliet, & eundem induere ſalinam Naturam ſinat, quò medium fiat imperfecta Metalla ad perfectionem radicaliter redigendi. Sal unicum eſt medium communi Sulphuri Aurum reconciliandi, & ex eo Tincturam imperfecta Metalla in perfectum commutantem conficiendi, de quâ omnes Philoſophi, quos pauci intelligunt, adeò dilucida ſcripta edidêre.

De eadem re admodum clarè agit ſcriptum nuper à me in lucem miſſum, & deſcribens Aquam ſalinam, ſive Aurum Potabile, quod magnum certe myſterium occultat, licèt plurimi illud nec intelligant, nec credant. Nam quia Mercurium totum tingit, vulgaris Auri ſolutio eſſe non poteſt, quod nulla aqua, aut nullus liquor, etiam ex ipſo Auro Corporali

 para-

paratus præſtabit, ut Mercurium conſtanti tin-ctura imbuat. Fieri quidem poteſt, ut Aurum ſolutum, Argento Vivo, aut hoc Auro adhæreat, ac utrumque conjunctim in album Amalgama abeat: Sed ut tale Amalgama fulvum, & durum evadat, aut ipſum Argentum Vivum in Aurum transmutetur, nullo unquam tempore continget, licet vel centum annos in tali ſolutione aurea coquatur. Niveus enim Mercurii candor vulgari Auro ſe obduci & tingi nunquam patitur, ſed ſoli Sulphuri alicui tingenti, & coagulanti obſequitur, de quo in Appendice continuationis Miraculi Mundi pluribus agitur.

Examinentur probè pauca hæc verba, in quibus maximum myſterium deprehendetur; ipſum nempè opus Philoſophicum totum ſi modò Naturæ Lumen parum illuxerit. Hoc tamen tàm efficax non eſt, ut talia myſteria revelet homini, cui Venus aperiat oculos neceſſe eſt, quibus Naturæ Lumen aſpiciat. Nam ſine Deo nulla Lux eſt, & ſine Luce nulla Vita, nullus, intellectus, & nulla ſapientia; Obſcuritas eſt mors, & mors æterna pernicies.

Sal de ſeipſo ità loquitur: *Ego Ignis & vita ſum, & nullum ſulphur combuſtibile fit Aurum, niſi ego mediator acceſſero.* Sal unicum eſt medium inter combuſtibile, & corruptum Sulphur, ſive Metalla imperfecta, & Aurum. Sali prius pernicioſum Sulphur, ſive Satanas, qui in macilentâ morte occultus jacet, in inferno debellandus, & vincendus

cendus est, quàm glorificato corpore surgens solium suum Regium occupet, & ægra Metalla in Aurum convertat.

Sed ne mysteriorum Divinorum & Humanorum desiderio flagrantem Lectorem diutius morer, totam operationem Philosophico more breviter, clarè ac verè describam, prout sæpenumerò manibus meis tractavi, sed nunquam hactenus ad perfectionem debitam ob varia obstacula ad finem perduxi.

Salem Terræ vulgarem probè mundatum, eique terrestre sulphur pondere debito adjunge, si prius sale solis radios injectos receperis; Sal & Sulphur in inferno tàm diu pugnent, donec Sal mortem & diabolum vincat, & glorificato corpore, quo ægri fratres curandi, aut in Aurum convertendi sunt, resurgat.

Hæc tota illa est operatio adeò decantata, in quâ nihil omissum est, nisi pondus, & Satanæ, aut mortis nomen. Salis verò nomen jam dudum à me patefactum est, ac nihil aliud hic restat, quàm Mortis ac Satanæ nomen exprimendum, quod ad Dei Gloriam, & Proximi commodum neminem celabo. Omnium metallorum Mors & Diabolus est Sulphur illud combustibile, quod in omnibus rebus sedem suam habens, æquè Vegetabilibus & Animalibus, ac Mineralibus inest. Salem & Sulphur comburens conjunge, & fac ut pugnent, donec Vitá, i. e. Sal Mortem, i. e. Sulphur comburens vincat, & deglutiat, ac ex utroque

que prodeat corpus glorificatum, pulchro Rubino, aut pellucido, & rubro carbunculo ſimile, quo hominum & Metallorum morbi curari poſſunt. In hoc operandi modo paucis verbis tradito maximi momenti latitat myſterium, quod è milleſimis vix unus capiet, ideò ob viles materias plurimis offendiculo, & contemptui futurum. Sed cum inſaniâ & ſtultitiâ ſuâ miſſos faciemus ſtultos, qui bonum quærunt, ubi non reperitur, & ob oculos verſans nec norunt, nec noſſe volunt. Si Sophiſtico more operationem aliquam Chymicam prolixâ verborum ambage in medium attuliſſem, nullum mihi dubium eſt, quin cœcus mundus illum promptiore animo ſuſcepturus fuiſſet, quàm ejuſmodi brevem & compendioſam operandi rationem. Unde Sendivogius, cæterique Philoſophi veri haud immeritò dixerunt; ſi de verbo ad verbum alicui verus operandi modus revelaretur, nullam tamen ipſum ob rei vilitatem verbis veri fidem habiturum eſſe. Eâ de cauſa quis objicere poſſet; quidnam quæſo boni ineſſe poteſt ſali rei adeò vili, & abjectæ? Num Sulphur Aurum fieri ſolet? Hinc etiam veritati fidem adhibere nec volunt, nec poſſunt.

Ut verò dilucidè probem, magni monenti arcana ſale & ſulphure occultari, materias illas pluribus manifeſtem oportet. Sal æternitatis Symbolum eſt, cum neque ab Igne, neque ab Aëre, neque ab Aquâ, neque à Terra minuatur, aut alteretur, ſed omnia longo tempore à corruptione con-

conservet. Notissima res est, totique Mundo cœco in conspectu versatur, omnibusque rebus cæteris adjumento est, nullius tamen alius rei auxilio indigens. Sulphur comburens Mortis est Symbolum, verusque Diabolus Infernalis, quem nullum Elementum, nullaque res alia, uno sale excepto, vincere & superare potest. Nam etsi per multos annos sulphur adhuc vinculis suis non expeditum, & in carcere suo probè custoditum ignis cruciatum pati deberet, ne minimam tamen mutationem esset sensurum, nec quicquam ponderis perditurum, si modò per januam apertam ipsi exitus non pateret. Pari ratione si vel centum annos in aëre, aut aqua versaretur, neutiquam tamen putresceret. Solus sal ipsum vincit, & in Carbunculum mutat, in Carbunculum, inquam, ideò sic nominatum, quia pellucido rubore splendens instar prunæ candentis lucet, ac inter lapides prætiosos omnes præstantiâ suâ eminet, apud paucissimos inventus. Qui ejus possessione gaudent, eundem occulunt, neque ut adamantes, aut alios lapides prætiosos venum exponunt. In montibus asperis, ut cæteri, non offonditur, sed precibus ad Deum fusis quæritur, manuumque laboribus acquiritur.

Sed quid multa dicam? Modum jam excessi, quanquam & illa, quibus dicendis limites transgressus sum, impiorum captum & intellectum superatura esse scio.

Sed

Sed ne quis dubitet, Salem & Sulphur in vili pretio habita, nobilissimas tamen creaturas esse, Salem omnium rerum principium & finem existere probabo.

In Mundi Creatione Sal primum Fiat fuit, ex quo postea quatuor Elementa prodiêre, adeò ut à Philosophis Sal Centrum Concentratum Elementorum nuncupetur, & semper eodem pacto ultimus sit & maneat, quo primus fuit. Ex Sale omnes res ortæ sunt, & in eundem revertuntur, postquam à morte destructæ sunt.

Et Sal thesauros grandes, & possidet Ignis.

Sal Ignis, & Ignis Sal est, ac tertium, nempe spiritum occultum in se continent. Cum Creator Omnipotentissimus verbum FIAT pronunciasset, & Salem creasset, Chaos illud postea in quatuor partitus est portiones, cuique diversas assignans sedes, ac nomina sua singulis imponens; quo facto Elementa initium suum cœpêre in se invicem mutuas actiones instituentia, & generationes suas ordientia. Purissima, & subtilissima pars Firmamentum petiit, ac Solem, Lunam, & Stellas dedit. Crassissima & gravissima in massam terrestrem coivit, &, fecum instar, infimum Locum occupavit. Aqueæ & Aëriæ portiones in medium Locum concesserunt Terrestrem Globum ambitu suo complexæ.

Quando jam Superior sive Ignea Pars cum astris in Inferiorem Aqueam, sive Mare operantur, & vires suas immittunt, Aqua quasi gravida & præ-

& prægnans redditur, & ſine intermiſſione Salem generat. Ne autem continua hæc generatio Salis, effecta Ignis operatione in Mare aut Aqua ſola produceretur, & cœtera Elementa otioſa quieſcerent, cuivis horum etiam Deus proprium ſuum munus impoſuit, Aëri nimirum, ut ex Aſtris ſemen miſſum ſuſcipiat, & Aquæ communicet: Aquæ, ut receptum ſemen per terrarum meatus, & fiſſuras diſtribuat, quò hac ratione tàm intùs in ipſa terrâ omnis generis Mineralia, & Metalla, quàm extra ipſam in ſuperficie omnigenæ herbæ, frutices, & arbores producerentur, Animalibus nutriendis, augendis & multiplicandis inſervituræ. Rei veritatem quotidiana experientia teſtatur: Si enim Mare Salem ſuum per terram non diſpertiretur, tot præſtantia Mineralia in ipſius viſceribus neutiquam exiſterent, nec in ejusdem ſuperficie tot ac tantæ arbores, & tàm variæ ac multiplices herbæ, diverſaque gramina naſcerentur. Quantum enim Salis ſuperficiei externæ Vegetabilia, & internis viſceribus Mineralia ſubtrahunt, tantum Mare aut Aqua ſalſa ipſis reddit, ità ut terra nullâ unquam inopia laboret ejus Salis, cujus indigentes participes reddendi ſunt. Si enim Terreſtri Globo de indeſinente nutrimento Mare non proſpiceret, ipſa terra eodem deſtituta debitum alimentum & incrementum cœteris rebus ſuppeditare non valeret. Etenim arca, in quam nihil reconditur, & quæ promendo indeſinenter exhauritur, tandem vacua, nihil retinet. Quia

Quia verò Dei ſapiens providentia voluit, ut Terreſtris Globus ſine intermiſſione bonorum fructuum ferax eſſet Humanumque Genus nutriretur, neceſſitas ipſa poſtulavit, ut Terræ ex Mari perpetuum ſuppeditaretur alimentum; Quem in finem aſtra nunquam ceſſant aërem & aquam influentiis ſuis animando, ut mutuis auxiliis Elementa ſibi invicem ſubveniant, & Naturæ curſui remora nulla objiciatur. Si enim unum tantum Elementum ad quietem ſe componeret, & munere impoſito fungi deſineret, cæteris quoque quieſcendum, & quiete tali intereundum eſſet. Niſi Aſtra ſalem generarent, & hunc receptum aqua per terram non diſpergeret, quo pacto fieri poſſet, ut aliquid naſceretur, & creſcendo augeretur? Totus ipſe orbis Tertarum tandem exareſceret, & periret, qui tamen perpetuâ ſalis acceſſione nunquam intermittit, quin augeatur, & ſuſtentetur. Nullus eſt lapis, qui ſale careat, atque ità non arguat, ſalem ſuum nutrimentum, ſuumque principium exiſtere, eosque montes, quibus magna ſalini nutrimenti ex proximo Mari copia affatim ſuppetit, quaſi creſcere, & augeri. Hoc nullibi compertu facilius eſt, quam iis in locis, in quibus oræ montanæ admodum fertiles ſunt, & Metallorum feraces, quorum acquirendorum gratiâ ſcopuli & rupes perfodiendæ ſunt foraminibus altitudine, aut profunditate ſuâ commodum introitum & exitum præbentibus. Quando autem in locis ejuſmodi

aut

ejusmodi aut omnia Metalla effossa sunt, aut Venæ Metallicæ parietibus transversis abrumpuntur, & amittuntur, aut etiam ab aquis allabentibus inutiles redduntur, eâque de causâ mons ejusmodi deferendus est, non tamen ideò crescere desinit, & quidem tàm lapis ipse, quàm Metalla in ipso sedem habentia. Unde usuvenire solet, ut, quæ modo diximus, foramina, per quæ erectis incedere licuerat, longo temporis progressu adeò concrescant, & tàm parva, aut angusta evadant, ut se incurvare, aut omninò corpus terræ applicare oporteat illum qui ad initima penetralia tendere cupit. Intelligendum hoc de Lapidibus ejusmodi, qui sale affluunt; quippe loca sali non pervia nec lapidum, nec aliarum rerum generationi idonea inveniuntur, ut & illa, quæ aquas admittere recusant. Sic Aqua vehiculum est salis per totum terrestrem Globum vehendi, & nutrimenti per eum dispertiendi, sicut Aër receptaculum est Astralis seminis, cujus Aqua particeps est reddenda.

Quæ hîc scribo, licet vilia & exigui momenti esse videantur, verissima tamen sunt, & à nemine clariora ac veriora reddi possunt. Etsi verò prolixiore descriptione eadem proponere liceret, illâ tamen prolixitate nihil opus est, cum omnia compendiosius tradi queant.

Ut dilucidiore tamen demonstratione adhuc confirmem, totius Mundi vitam

eſſe Salem, & ex eo cuncta originem ſuam capere, teſtem adduco Univerſalem Sententiam omnium Philoſophorum unanimiter aſſerentium; Omnes res ad Primam Materiam reductas in Salem redire: ex quo dicto conſequitur, eas à Sale exordium ſuum cepiſſe, & argumentum hoc à nemine refelli poſſe. Dicat jam aliquis, quonam pacto hujus rei certus eſſe poſſum, aut quâ ratione ad Primam Materiam res omnes redigi poſſunt? Horum laborum, harumque operationum notitiam ut conſequaris, experientiâ claros Philoſophos, & Chymicos accedas oportet, quia in præſentiâ de ejuſmodi operationibus tractare non conſtitui. Naturæ laborem vel quivis ruſticus animadvertit, quippe cui quotidie in aſpectum cadit videnti, quod quævis herba, quodvis lignum, quivis homo, & quodvis animal poſtquam finem morte conſequitur, per putrefactionem in Sulphureum Salem abeat fimo quidem putrefacto occultum, ſed ipſi incognitum, licet eodem macilentam & ſale carentem terram ſtercoret & pinguem, ac fertilem reddat. Quamdiu herba, lignum, & animal vitali ſuâ aurâ fruitur, non Salem ſuum, quo conſervatur, ſed ſuperfluas feces dimittit. Cum primum verò auram illam mors ſuſtulit, ac vinculum diſſolvit, cœteræ partes diutius ſubſiſtere nequeunt, quâvis eò abeunte, unde profecta eſt. Salem pluvia diſſolvit, & totis fluminibus in Oceanum matrem reducit, unde exiverat; Spiritus ab Aſtris attrahitur;

Ter-

Terreſtris materia in terrâ manet, cui ortum ſuum debet. Non enim à Mari terreſtres fructus Univerſale hoc Nutrimentum hæreditario jure obtinent, ſed tantum, ut alimentum commodo datum, accipiunt, ut eodem, quamdiu vivunt, fruantur. Poſt mortem Mater Univerſalis, nimirum Mare, repetit, & aliis largitur, quæ ipſi commodavit.

Si aliâ ratione rem tentandi libido te inceſſerit, herbam lignum, lapidem, aut animal aliquod igne comburito. Sic enim quicquid ſpirituale eſt, in auras ejicietur, & Sal in cineribus remanebit, aquâ extrahendus, & à terrâ mortuâ ſeparandus.

Sal igitur in omnibus rebus *principium & finis eſt*, ac digniſſimus, cujus accurata ratio habeatur, utpote qui maxima myſteria, & arcana continet. Hæc qui ignorat, Philoſophus nuncupari non meretur, ſed potius inſigniendus eſt nomine ſuperbi, & in vervecum patriâ nati Aſini, nihil aliud ſcientis, & tenentis, quàm criminationes & calumnias, quibus ſuæ ignorantiæ velandæ gratiâ veritatem cavillatur, & contemptui ducit. Veteres haud ignari fuêre præclariſſimarum virtutum Sale tectarum, adeò ut Philoſophorum plurimi, in Sale divinum quid occultari, autumaverint, atq; ideò expreſſè ſcripſerint, Dei cognitionem ex rebus nullis clarius, quàm ex Igne & Sale hauriri poſſe. Idcircò ſuis ſacrificiis & altaribus Ignem & Salem, tanquam Dei, & Immortalitatis Symbola quovis tempore adjunxerunt.

Nullum Ignem, nullum ſalem illotis manibus attingere auſi ſunt verentes, ne Divinam iram ſibi concitarent, ſi nobiliſſimas has Creaturas impuris manibus contaminarent. Per ſalem & panem jurarunt, majore juramento non utentes, atque in aliquâ re examine accuratiſſimo explorandâ interrogato ſalem & Panem propoſuerunt, ut ita veritatem teſtaretur, unde vulgare illud forſan natum; *Salem, & menſam non violabis.* Chriſtus ſervator noſter *ſal Sapientiæ* nominatur: In Sacro Baptiſmo Sacerdos infantis ori parum ſalis inſerens hæc verba addere ſolet; *Accipe ſalem ſapientiæ*, quæ conſuetudo cum cereis ardentibus in Baptiſmo ſemper adjunctis, ut Chriſtus tanquam Lux mundi eorum reſpectu in memoriam revocaretur, in plurimis locis à novitiis abrogata eſt, ità ut verendum ſit, ſi mundus diutius duraverit, ne tandem eò res deventura ſit, ut etiam ipſum nomen Chriſti nominare prohibeatur. Eo audaciæ profectò Mundus jam proceſſit, ut pœnâ injunctâ prohibuerit ferias Domini, & ſervatoris noſtri Ieſu Chriſti natalitias colere, & celebrare. O miſeram hodierni Chriſtianiſmi conditionem!

Chriſtus ipſe ſuos Diſcipulos *Lucem mundi & ſalem terræ* appellavit Luc. 19. v. 9. Sal & aqua per fidem & Baptiſmum Deum & hominem uniunt: ità etiam Aurum fixum & Sulphur comburens, ſalis & aquæ auxilio, copulantur, quæ res aliâs impoſſibilis credita, veris tamen chymicis notiſ-

notissima est. Nam quando Aurum & Argentum liquata separare volunt, parum sulphuris injicere solent, quod, tanquam paries quidem inter utrumq; intercedens, Aurum & Argentum disjungit ob inimicitiam, quæ ipsi est cum Auro tantâ antipathiâ à sulphure diffidente, ut illud nullo unquam tempore tolerare possit. Hanc tamen inimicitiam tollunt sal & Aqua utrumque in gratiam reducentia, haud aliter ac Christus sal sapientiæ, & Lux Divina fœtentem peccatorem, ut Mediator Deò reconciliat.

Quibusdam in locis Christus; *sal*, inquit, *bonus est* sive *bona res est*: quando terra sale caret, mortua nullos fructus producit: Idem facit fimus sale destitutus.

Testem hîc habeo Veritatem ipsam Æternam coarguentem impios meos inimicos Farnerianos, qui Miraculum Mundi à me editum falsis suis cavillationibus, & calumniis refellere conantur. In eo manifestissimis argumentis à me demonstratum est, non fimo, sed sale in ipso latente terram pinguem, & fertilem reddi. Hujus testis testimonio verissimo convicti putidissimorum suorum mendaciorũ Criminatores, & Columniatores illi proculdubio venenatas suas linguas frænabunt, & Theoninis suis dentibus me rodere in posterum desinent. *Veritas quidem premitur, sed nunquam opprimitur*, quam Deus tandem in apertum producit, quamvis nonnunquam à satanâ mendaciorum patre, & hoste suo capitali aliquandiu prematur, & vexetur.

Alio quodam loco Christus; *Nemo*, ait, *est bonus nisi unus Deus* : Alio item; *Sal bonus est*. Efficacissimum profectò hoc testimonium, ac laus præclarissima, quâ Sal extollitur.

Sal etiam pro intellectu & sapientia sumitur, eaque de causâ homo rudis, hebes & desipiens Insulsus homo nuncupatur, eodemque sensu Insulsus sermo dicitur, qui quasi nihil salis habens inconcinnus & stupidus existit : Unde vulgaribus proverbiis dici solet; quàm insulsus & insipidus hic est homo, quàm insulsam, & insipidam concionem habuit! Vulgare item & illud, *quod sapit nutrit*, & contrà : Ubi nullus sapor, ibi & nutrimentum nullum. Nihil est in rerum natura quod medio Salis destitutum nasci possit; Imò nec ipse homo sine Sole, homine & Sale nascitur. Appositè Philosophus quidam dicit:

Igneus est Salis vigor, & cælestis origo. Sol & Sal omnium rerum parentes sunt, qui cuncta procreant, & sine quibus nihil procreatur. Caro & panis sale conspersa plus virium conferunt, quàm cœteri cibi omnes, qui sale non conditi sunt. Vino in fermentatione Sal additus illud fortius & suavius reddit.

N B. Sal tamen ille, de quo hic sermo est, non debet esse Sal communis & vulgaris, qui vino saporem bonum non conciliat. Vacua dolia quidem vulgari Sale aquâ calidâ soluto purgari possunt, ut omnis sapor & odor malus extrahatur, & vinum in suo vigore conservetur. Sal porrò

vinum

vinum in corroborando corde humano viribus ſuperat, ideò huic multis modis præferendus. Qui verum Salem cum verò vino conjungere novit, terreſtrem Solem, i. e. Aurum eodem ſolvere, & regium Medicamentum ex eo extrahere poterit, ſicut in aliis meorum ſcriptorum locis indicatum eſt.

Facili enim conjectura providet quivis intellectu præditus, ſi nobiliſſimæ trium illarum cor corroborantium rerum, Auri nimirum, Vini, & Salis virtutes conjunctæ fuerint, quàm nobiliſſimum Medicamentum ex ejuſmodi conjunctione proditurum ſit. Non ſine ratione cum Philoſophis Paracelſus ſtatuit, ſine Sale nullum verum Aurum Potabile parari poſſe. Si nullus planè Sal terræ ineſſet, nec herbæ, nec gramina, pabula animalium, prodirent, nec ipſe homo vitam ſuſtentare poſſet. Omnia quoque animalia fertilitatis ergò Salem appetunt, de quo in deſcriptione Viridis mei liquoris plura invenies. Auri & veri Salis combinatio demortuam quoq; ſeminis naturam priſtinæ fertilitati reſtituit, & ſemimortuis, ac ſterilibus arboribus amiſſam viriditatem, ac fertilitatem reddit, ſi medicamen illud radicibus adjiciatur. E contrario Sal communis antè præparationem Vegetabilibus nocet, eaque corroſione ſuâ occidit, poſt præparationem verò in iiſdem pinguefaciendis fimo præſtat. Sunt tamen ex Vegetabilibus quædam, quæ ſalis corroſivam vim tolerare poſſunt, illa nempè, quæ in litore

maris ſponte naſcuntur, ut herba Kali, ex quâ Veteres ſuum Salem Alkali pararunt; combuſta enim ſalem relinquit acerrimum. Salis quoque corroſioni ferendæ pares ſunt omnes ii fructus, qui acerbum, aut amarum ſaporem obtinent, acerbóſque aut amaros nucleos habent, ut olivæ, Limones, mala aurea, Lentiſcus, & Palma, quæ ſale vulgari quoque gaudet, ut contrà Vites, frumenta, & arbores fructuum feraces dulciore ſole delectuntur; quâ de re plura ſequentur.

Quidam ex Veteribus ſalem magni faciens memoriæ prodit, in Sardiniâ Inſulâ prope urbem Catarim tantam ſalis copiam effodi, ut tantum, quantum ad neceſſarium uſum requiritur, ſine ullo pretio incolis concedatur, reliquum verò extraneis nautis & mercatoribus exportandum vendatur. Ruſticos verò tantâ ſalis copiâ affluentes adeò largè ſuis pecudibus & pecoribus eundem exhibere, ut ex largiſſimo lacte præſtantiſſimos caſeos conficiant paſſim per totam Europam divendi ſolitos, qui an illi ſint, apud nos Parmeſanornm nomine noti, me latet. Tantam autem lactis ac caſeorum affluentiam ſoli ſali acceptam fert, quod etiam veritati maximè conſentaneum eſt. Idem author, cui Bernhardo Comelio nomen, etiam commemorat, in Indiâ Occidentali urbem eſſe ſolo arenoſo, & planè ſterili inſidentem, magnaque piſcium, qui ibidem capiuntur, multitudine abundantem. Incolas verò piſcium capita in magnam foveam conjecta largo ſale conſpergere,

gere, & post certum tempus cuivis capiti exempto frumenti granum inserere, idemque terræ isti arenosæ mandare, ac grana ista rursus enascentia centuplices fructus reddere. Hoc ità fieri à veritate alienum non est, cum piscium capita diu salem in terra conservent, ut à pluviâ ablui nequeat, atque ita frumento succus & alimentum suum non eripiatur. Sed tales frumenta serendi rationes longæ sunt, & laboriosæ. Mihi longè alia est salis præparatio, quæ sine multis sumptibus, & multo labore ipsius magnam copiam idoneam reddit, ut arenosas terras fertiles efficiat, & tamen à pluviâ non diluatur. Sal sulphureus est reddendus, ut universaliter & generliter nutriat.

NB. Dicat hic aliquis; si sal sulphureus fertilitatis est effector, quî fit, ut Sodomiticum illud Mare Mortuum, sulphure & sale abundantissimum nec pisces patiatur, nec ad fertilitatem quicquam conferat? Respondeo; quia dictum Mare Mineralibus Vitriolatis & amaris refertum est, omnibus, piscibus & Vegetabilibus veneno suo nocet, ipsique pisces etiam in aquis nimio sale repletis vivere nequeunt, quod observandum: Omne enim nimium vertitur in vitium. Quid verò fertilitatis sal rebus naturalibus impertiat, docent pisces unâ vice multa pisciculorum millia in aquis edentes, quod animalibus, & avibus non est datum. Frustrà Deus non voluit, ut Rex Pharao somniaret primo de septem

pinguibus, postea de aliis septem macilentis vaccis ex mari in terram descendentibus, quibus fertilitatem ex mari originem ducere significabat. Intellexit hoc Josephus à Deo Naturæ Lumine æquè ac Divino illuminatus, ideoque somnium interpretatus est: Nimirum salem penes se habuit. Sal Fontis Philosophandi titulo insignitur. Hesiodus, Homerus, Plato, Pythagoras, & alii Philosophi tradunt, salem ex omnibus rebus Deo maximè affinem esse. Ego assero, salis operâ multos Dei electos filios fieri. Si sal terræ deesset, nulli fructus alimenta hominibus necessaria largientes ex eâ prodirent, unde humano generi intereundum esset, minimè valenti vitam ex aëre nutrire, & inde multiplicationem petere, sed nutrimentum ex terrâ sumere coacto. Sal evadit, lac, mel, saccharum, vinum, panis, caro, & in omnia illa abit, quorum indigentiâ laboramus. Sal omnia est in omnibus, principiumque & finis omnium eorum, quæ à Deo creata sunt.

Instare quis hic posset rogando; Num cuncta igitur ex sale oriuntur? Num necesse est, ut sal in seminibus herbarum in herbas, in seminibus animalium in animalia, in seminibus metallorum in metalla mutetur? An tales gradus transiri nequeunt, ut Ars celeriore saltu progrediatur, & Naturæ tardiorem progressum corripiat? Respondeo; Imò fieri potest, Artique licitum

citum eſt longè compendioſiore via ſalem ad ſummam perfectionem adducere, quod Natura præſtare nequit. Qua verò ratione fiat, indicare hujus loci non eſt. Hoc velim ſcias, ex Igne aut ſole ſali unito mirabiles oriri generationes, quæ aliâs in conſpectum non prodeunt. Periculi faciundi gratiâ, menſibus Julio, Junio, & Auguſto vas aliquod ligneum aquâ communi repletum ſolaribus expone radiis, ut noctes atque dies aſtralibus influentiis feriatur, & exſiccetur, exſiccatum denuò reple aliâ aquâ, & vas ſic plenum ſemper conſerva, in quo tandem ex ſale, quem aqua continuit, omnis generis vermes ſine ullo ſemine naſcentur; tales puta, quales in aliis aquis putridis naſci conſueverunt, ut ranæ, bufones, & ſerpentes. NB. Vas ex ligno, & non ex metallo conficiatur, ne aqua Vitrioli ſuccum imbuat, qui animalium vitæ adverſatur: Probè itidem cavendum, ne quid ferri aut cupri in vas incidat, & operationem corrumpat. Aut reple idem vas arenæ aliquâ portione, eamque aquâ humectatam ſub radiis ſolaribus ſubjice, exſiccatamque ſubinde repetitis humectationibus madefac, ut operatione hac videas prodire varias & ignotas herbas, ſine ullo ſemine immiſſo prognatas, ut ex aliis meorum Scriptorum locis liquet.

Aurum ex omnibus corporibus Metallicis conſtantiſſimum, & quaſi invictum nullius alius Ele-

Elementi violentos impetus exhorrefcit, atque in igne ipfo tantâ fubfiftit conftantiâ, ut ne minimum quidem ponderi ipfius decedat, quamvis per multos annos in perpetuo ignis cruciatu detineatur. Nihilominus tamen fal ipfi Animam fuam extrahit, pulchrumque illum colorem rubrum eripit, & conftantiam illam, quâ igni refiftere folet, adimit, ut colorem plumbi, atque fragilitatem & fugacitatem Antimonii confequatur. Res imperitorum fidem & credulitatem fuperans, licet veriffimam ipfa experientia teftetur. Hinc in fale plus effe virium, quàm in omnibus Elementis, & rebus Elementariis, apparet, ideoque & Centrum Concentratum Elementorum jure ac merito appellandum cenfemus. Aurum potentiffimas, & fubtiliffimas ignis vires, quibus nihil eft quod refiftat, eludit, & à fale tamen fuperatur, qui ejus nobiliffimam partem, animam puta, à craffioribus & terreftribus partibus fejunctam attrahit, ftupendo Artis miraculo. Quàm nobilis res fit Anima Auri, unusquifque facili conjectura affequitur, & proculdubio eandem fummum in Medicinâ locum obtinere videt. Videantur, quæ de Chalybe fuo Aurum animâ fuâ fpoliante Sendivogius fcribit. Equidem fateor, licet diverfis vicibus mihi talis extractio ad votum fucceflerit, ut anima extracta, corpus Auri fragile, fugax, & nigrũ reliquerit, quod eadem tamen operatio non femper eodem fucceffu voluntati meæ refpondeat; Perinde ac fi Deus permittere nolit,

nolit, ut vulgo tale arcanum innotescat. Viliora mihi optimè contento sufficiunt, qui cuncta hæc eo fine in medium produxi, ut potentissimas salis vires manifestarem, & alios eas docerem. Nemo tamen hic velim sibi persuadeat, quod Culinarii illius salis adjumento Medicamentū hoc Regium Auro extorqueri possit; Etenim ad hanc rem alius sal requiritur Arte, & igne paratus. Sed de hac artificiosâ Auri concentratione Quarta Prosperitatis Germaniæ pars propediem, Deo volente, lucē visura pleniorem, & prolixiorem mentionem faciet.

Plura quidem de sale dicenda essent, ac dici possent, quæ in alium locum & tempus rejiciemus, cum ea, quæ dicta sunt hactenus, sufficere in præsentia mihi videantur.

Concludo itaque & affirmo, salem omnibus rebus adjumento esse, & è contrario nullius auxilio indigere. Accurata meditatione hæc perpende, ut multa bona offendas.

Rogaret hic me aliquis, & diceret; de quo sale loqueris? Multa enim salium genera reperiuntur. Loquor de universali & omnibus noto sale, qui ex Marinâ aquâ, vel fontibus salsis excoquitur, aut ex suis foveis in montibus & terris effoditur, atque ad communem rei familiaris usum adhibetur. Notissimum hunc salem hic universalem thesaurum, & generales divitias appello, & quidem haud injuriâ: Toti enim Mundo alimentum subministrat, ut non solum animalia terræ, pisces in aquis, & aves in aëre, sed etiam cun-

cta

cuncta metalla in visceribus Globi terreni intimis ad usum humanum subsistere possint, ne dicam de summâ & universali Medicinâ ad curandos quosvis morbos humanos, quam ejus beneficio consequi licet. Jure ac merito igitur Mundi thesaurus universalis appellandus, cum nihil omninò reperiatur, quod sali originem suam debeat. Quod autem unus sal altero purior, melior, & pretiosior sit, inficias non eo, & hoc tantum dico, cunctorum originem & principium unum idemque esse, discrimenque ipsorum ex accidentibus ipsis obvenire. Etenim quamdiu sal purus, nullique rei mixtus est, ut à sole in aquâ efficitur, unus & idem existit, unumque eundemque saporem, & easdem vires possidet: Cumprimum verò aliis rebus miscetur, aut igne mutatur, naturâ suâ pristinâ depositâ aut melior, aut deterior evadit. Docent hoc ligna & lapides ab igne in carbones aut cineres redacti, in quibus salis pars cum fumo avolat, reliqua in cineribus remanet, longè aliam naturam ostentans ab illâ, quam habuit, antequàm ignis violentiâ destrueretur. Ignis nimirum operatione cuncti sales igneam, & sulphuream nancifcuntur naturam, ideòque aliam proprietatem necessario induunt, quod notissimum nulla disputationis inquisitione indiget. Notissimus, simplicissimus, & omnis mistionis expers est sal iste, qui ex marinâ aquâ, vel fontibus salsis, aut montium & terrarum caver-

nis

nis elicitur. Vitriolum, & Alumen ſales quidem ſunt etiam, ſed terreſtri, ac minerali proprietate infecti, atque ideò ſimplicium ſalium nomine indigni.

Salpetræ in ſalium quoque cenſum venit, ſed ſimplex ſal, qualem ſol operatur, dici nequit. Aut enim ex terrâ effoditur, aut ex urinâ hominum & beſtiarum generatus aquâ affusâ elicitur, & decoctione in cryſtallos concreſcit, & ab aliis ſalibus recedit; aut ex muris & parietibus calce illitis ac conſtructis, aut ex montibus, ſcopuliſque calcariis aquarum affuſione eruitur; aut arte ex vulgari ſale, lignis, aut lapidibus calcariis paratur. Undecunque autem veniat, unius ejuſdemque eſt naturæ, & flammâ conceptâ ardet, ſicut Tractatus meus de Proſperitate Germaniæ pluribus eum deſcribit. Sales ex lignorum combuſtorum cineribus extracti rurſus aliam naturam, aliaſque proprietâtes poſſident, & & Alcalium nomine inſigniuntur. Alius item ſal paratnr ex urinâ, communi ſale, fuligine, & taurorum ſanguine, Armoniaci ſalis nomine notus, & in uſum adhibitus, loco alîus Armoniaci, qui ex montibus quibuſdam effoſſus quondam ad nos deportabatur, ſed jam non amplius affertur.

Hi ex ſalibus notiores ſunt, & plurimarum rerum uſibus inſerviunt, ut ſal marinus, ſal fontanus, ſal montanus, cui & ſalis Gemmæ nomen, qui in culinâ ad cibos, carnes, & piſces ſale condiendos adhibentur, ut à corruptione per tempus aliquod conſerventur. Vi-

Vitrioli uſus potiſſimus eſt in officinis tinctorum ſericeos, laneos, & lineos pannos nigro colore imbuentium, ut & Pharmacopoliis, ubi medicamentis parandis inſervit: de his primam Furnorum meorum partem vide.

Alumen tinctoribus, medicis, aliiſque artificibus utile eſt. Ex ſalepetræ Diabolicus ille pulvis pyrius conficitur, cæteroquin commodiſſimo ad multorum Medicamentorum excellentiſſimorum confectionem, & Metallorum Chymicam emendationem, multarumque Mechanicarum artium inventionem, & utilitatem, ut ex II. Furnorum meorum Chymicorum, & II. Pharmacopœæ Spagyricæ Parte, Miraculo item Mundi, ejuſdemque Defenſione, ac Continuatione, ut & quatuor Proſperitatis Germaniæ Partibus conſtat.

Salium fixorum, quos cineres lignorum combuſti ſuppeditant, in Medicinâ & Alchymiâ uſum ſuum habent, frequentiorem tamen in pannis tingendis & ſmegmate parando. Sal Armoniacus in Medicinâ, Alchymiâ, & aliis artibus uſurpatur. Sed hi ſales omnes adeò noti ſunt, ut eorum prolixiore narratione meritò ſuperſedeamus.

Hi igitur, quos commemoravimus, ſunt ſales illi, qui hactenus longo progreſſu temporis, diuturnâque experientiâ virtutes & vires ſuas patefecerunt. Inter eos ſal culinarius nobilitate, præſtantiâ, & neceſſitate eminet, utpote ex quo cæteri omnes oriuntur, & etiam Artis ope confici

poſſunt, ut Scripta mea paſſim docent. Baſis autem eſt omnium aliorum ſalium ſive notorum, ſive ignotorum, id quod veriſſimum eſt, & veriſſimum etiam manebit. Nam facili admodum negotio per ignem & ſulphuris alicujus Metallici additionem in Alumen aut Vitriolum; Ignis, aëris & ſulphuris adjumento in ardentem ſalempetræ; peculiaris cujuſdam Ignis fortioris ope in ſalem Alcali, & acredinis deſpoliatione in ſalem ſtercorandis & pinguefaciendis agris, arenoſiſque & macilentis terris utiliſſimum abire ſolet.

Porrò vulgaris ille Sal Culinarius proprio ſuo ſpiritu ſe mundari, atque purgari patitur, colorem, jucundiorem ſaporem, albiorem, & clariorem præclarioreſque virtutes & vires ad condiendos cibos, carnes & piſces longè aptiores purgatione & mundatione iſtâ acquirens. Suavis enim fit, clarus, inſtar cryſtalli pellucidus, ac teſſerarum more in quadratas concreſcit cryſtallos, in figuras adeò perfectas redactas, ut nec circulo nec aliis inſtrumentis perfectius formari queant. Hinc valetudini talem ſalem mundatum magis conducturum craſſo illo & impuro ſale nemo erit, qui negabit.

In admirationem me rapit ſupina noſtra negligentia, qui tàm parum de valetudine noſtrâ ſoliciti ſumus. Quotidie oculis noſtris cernimus, neminen ſalis uſu carere poſſe, illumque corporis

veletudini inſervire, ac hominibus, & pecoribus, pecudibuſque neceſſarium eſſe. Craſſus, & qualis ex decoctione multis adhuc fecibus oneratus prodit, multum boni exhibet, proculdubio plus exhibiturus, ac ſalubrior, ſapidiorque futurus, ſi artificioſiore apparatu mundatus & paratus fuerit.

Si non aliorum, Magnatum tamen, quorum multos ſubditos gubernantium maximè intereſt, ut ſui corporis valetudinem firmam conſervent, rationes poſtularent, ut ſibi talem ſalem parandum, & in menſâ apponendum curarent. Sumptus ad hoc faciendum requiruntur exigui, quibus ſal adeo ſuavis efficitur, ut unumquemque ad ſe appetendum ſuavitate ſuâ invitet. More vulgaris ſalis ſitim non excitat, utpote terreſtribus illis fecibus in communi adhuc hærentibus carens, ſed eam reſtinguit, famam ſedat, cor corroborat, ut & ſtomachum, cerebrum, cunctaque membra corporis, nullam in corpus putrefactionem admittit, contra morbos idem tutatur, miriſque virtutibus excellit, cui craſſus ille ſal neutiquam comparandus. Magnus profectò eſt theſaurus donumque Dei grande, quo Humanum Genus ſuſtentatur, nutritur, corroboratur, & augetur, & pro quo maximæ Deo habendæ ſunt gratiæ.

Præter commemoratam ſalis purgationem, inverſionem, & commutationem ſalis Communis in Alumen, Vitriolum, ſalempetræ, Alcalia, ac ſimiles

miles ſales in ſcriptis meis memoratos, alia adhuc eſt ejuſdem ſalis Vulgaris purgatio, & emendatio ſecretior, illum in nobiliorem, & priore longe excellentiorem ſtatum exaltans, de quâ apud neminem me aliquid legiſſe memini, niſi apud paracelſum, qui paucis verbis ejus mentionem facit in capite de communis ſalis virtutibus, dicens: Salis virtutes in ejus præparatione conſiſtunt: ſal crudum hoc ſolum præſtat, ut carnium & piſcium bonitatem conſervet. Si verò ſal enixum evaſerit, per incredibile temporis ſpatium omnes res in ſtatu ſuo ſartas tectaſque cuſtodit, ligna in lapides convertit, ut & limum, aut argillam: Arborum folia in ipſo viridia manent: Quicquid hoc ſale conſpergitur, omnimodam mutationem reſpuit. Inſtar Balſami conſervat, & plus efficit, quia temporis progreſſu omnia coagulat.

Hæc incomparabilis Medici & Philoſophi verba ſalem illum Enixum appellant; quid verò hoc ſignificet, mihi non conſtat, qui illum ſalem mirabilem appello. Ipſi hoc tribuit, quod omnia per intervallum temporis iucredibile ſarta tectaque præſtare queat, nec à veritate aberrat. Nam qui talem ſalem paraverit, non modò idem, ſed etiam multo plura præſtabit.

Parandi eum modus mihi cognitus atque perſpectus eſt, quippe qui ſæpenumero ipſum confeci, & in ipſo incredibilia deprehendi: Sive mea præparatio cum Paracelſi præparatione conveniat, ſive non conveniat, omnia tamen, quæ Paracelſus

celsus suo sali Enixo adscribit, & longe plura meo sali Mirabili attribuere neutiquam dubito. Neque etiam meâ, neque aliorum refert ut eadem præparatione utar, aut non utar, quâ Paracelsus usus est, si modò meus sal id præstet, quod ipsum præstare posse assero. Ideò etiam meo sali Paracelsicum illud nomen imponere nolui veritus, ne calumniatores, & cavillatores mei ansam arriperent ex odio & invidiâ me calumniandi, & dicendi, quod meus sal ille Paracelsi Sal Enixus non sit, quod mihi usu jam venit, qui Menstruo meo Universali nomen Alkahest indidi. Superbi enim, nasuti, sophistici, & ignorantissimi mei osores, & subsannatores occasione arreptâ fluctus in simpulo excitarunt, & magnis in me vociferationibus debacchati sunt, dicentes; Glauberi Alkahestum minime esse Paracelsi, & Helmontii Liquorem Alkahest: cum tamen meus Helmontii & Paracelsi liquorem plurimis gradibus anteeat. Meus enim in promptu est, & se conspiciendum præbet cujus ope meum Aurum Potabile Paro, Mercurium in verum Aurum tingens. Ille Paracelsi, & Helmontii decantatus liquor planè invisibilis est, & à nullo comparari potest. Parva avicula manibus comprehensa, & detenta multo melior est multis avium magnarum millibus, quæ in aëre volant, & nec videri, nec capi possunt.

Et hæc causa est, cur meum salem eodem nomine appellare noluerim, nec novam subsannandi

di & ſuggillandi meis Oſoribus, mihi ignorantiæ fratribus, materiam objicere voluerim, licet probè ſciam, meum ſalem mirabilem Sali Enixo Paracelſo in omnibus virtutibus & viribus ne minimum quidem concedere, & forſan etiam longe majoribus virtutibus excellere, quas ſequenti narratione in apertum dare conſtitui.

Ut Paracelſus tradit, ſal ipſius Enixum cuncta, quæ imponuntur, incredibili ſpatio temporis à corruptione defendit, ac tandem admirandâ metamorphoſi in lapidem tranſmutat. Sal meus mirabilis non modo idem præſtat, ſed decies plura efficit. Priuſquam verò virtutum in meo ſali Mirabili latitantium deſcriptionem aggrediar, operæpretium duxi indicare, ejuſmodi ſales à Naturâ paratos paſſim in terrâ occurrere, & ſolutos ab aquâ in ſuperficiem evehi, fonteſque tales enumerari à Georgio Agricolâ monſtrante, ubi locorum inveniri queant, & quod omnia ipſis impoſita brevi tempore in lapideam materiam convertantur; quod alii Scriptores etiam teſtantur, ac Ceſius inprimis in libro ſuo de Rebus Metallicis. Nec eſt, cur quis dubitet, cum ejuſmodi fontes & in Germaniâ noſtrâ ſe offerant, licet à paucis momenti alicujus eſſe judicentur. Talis eſſe fertur in Helvetiæ loco quodam, qui quodvis lignum injectum certo temporis intervallo, totum quantum eſt, in lapidem convertit. Iſtius autem loci incolæ ſæpèſæpius

experimentis rem tentant, lignum aliquod ſcindendo in cotis figuram redigentes, illudque aquæ dicti fontis imponentes, in quâ cos hæc lignea in lapideam mutata falcibus, & aliis ejuſmodi niſtrumentis acuendis poſtea adhibetur. Ejuſmodi cotes ipſe vidi, & in manibus meis habui, ex quarum figurâ ſatis apparet, eas prius lignum fuiſſe, & tam admirandâ metamorphoſi in lapidem converſas eſſe.

Res omni dubio caret, plureſque ejus naturæ & proprietatis fontes pluribus in locis ſunt obvii. Illum in Helvetiâ non vidi, ſed Baſileæ infantem apud Doctorem Exium, qui adhuc in vivis eſt. Huic infanti in capaci admodum vitro inſidenti ſcabello Exius Senior liquorem quendam peculiarem affuderat, qui illum incorruptum planè, & illæſum hactenus conſervaverat uſque ad illud tempus, quo mihi monſtratus eſt. Narrabant verò mihi, in lapidem illum infantulum à liquore mutatum eſſe, quod ego, qui illum non contrectavi, pro certo affirmare nequeo. Pleno tamen corpore, ac ſi recens natus eſſet, ſedentem vidi, ex quo tempore jam elapſi ſunt plus quam viginti anni, cum jam decem aut quindecim annis in aquâ illâ commoratus fuiſſet, in quâ & adhuc commorari fertur, ut nuper mihi narratum eſt. Nemo, autem novit, quâ aquâ infantem illum Senior Exius perfuderit, an ex fonte ligna in lapides convertente hauſerit, an verò Arte illam confecerit.

Conſimilis Naturæ & proprietatis fontem offen-

offendi in Auſtriâ, apud Neapolim Viennenſem, urbem munitiſſimam verſus Stiriam octo milliaribus Viennâ diſtantem. Peregrinationibus olim juvenis occupatus Viennæ in ardentem incidi febrim, Hungarici morbi nomine notam, quæ raro peregrinos intentatos dimittit. Recuperatâ aliquantulum priſtinâ valetudine Neapolim dictam petii, recidivamque paſſus ibidem ſubſiſtere coactus ſum. Morbus verò ſtomachi mei appetitum ità profligaverat ut cibos nec appetere nec concoquere potuerit. Incolæ mihi conſuluerant, ut me conferrem ad fontem unius horæ itinere ferè ab urbe in cujuſdam vineæ viciniâ ſitum, aquam ejus bibendi gratiâ, ut amiſſam cibi appetentiam recuperarem. Parui conſilio, mecumque panis fruſtum grande ad fontem detuli, parum tamen fidei adhibens dictis ipſorum, qui mihi dixerant, quod fruſtum illud totum comeſturus eſſem. Ad fontem veniens panis medullam contractam, aquaque illius imbutam comedi admodum ſuaviter mihi ſapientem, qui anteà domi optimas etiam dapes faſtidiveram. Cruſtâ panis excavatâ eandem aquam hauſi eâque epotâ ſtomachum adeò promptum ſenſi ad edendum, ut poculum illud ex pane confectum tandem etiam comederim, commodiore & fortiore reditu domum repetierim, & ex voto ſuccedentem eventum narrarim incolis, qui mihi affirmabant, ſtomachi mei vires penitus confirmatum iri, ſi aquæ bibendæ uſum continuarem. Rogati, qualiſnam aqua eſ-

fet, Salispetræ aquam esse respondebant, quibus tum harum rerū imperitus fidem tum habui, posteà tamen contrarium expertus. Salispetræ enim aqua esse minimè potuit, quandoquidē ea stomacho neutiquam conducit, sed potius nauseam, & fastidium parit. Fieri potuit, ut dicti fontis aqua usq; ad cuticulam evaporata in crystallos salipetræ consimiles concreverit; sed verus Salpetræ tamen non fuit omni ardore carens, & flammam non concipiens, quod facilè comperissent, si prunæ candenti impositum illum salem, salispetræ consueto examine, explorassent. Nunc enim certò mihi constat, fontem illum continuisse salem illū, cui Paracellus Enixi, & ego Mirabilis salis nomē imposui, & ea etiam natura inest, ut in longas crystallos concrescat, & tamen flammam non concipiat. Circumclusus autem est fons iste ligno, inter quod, aut in quo complures mures aquatici habitaculum suum habent, micas panis in aquam injectas mox abripientes, & deglutientes. Rogabam autem cur tanti momenti fontem ligno, & non lapidibus circumcluderent & munirent? Sine damno illud fieri non posse respondebāt. Ligno enim, quod jam in lapideā naturam abjerat, dempto, futurum esset, ut arena in fontē decidendo eum obturaret. Lignum aquam non attingens jam putridum erat, ut tum temporis viginti & unius annorum adolescens probè & accuratè observavi. Sequente hyeme in eâdem urbe commoratus comperi, paludes eandem circundantes, & adeò validā ..dentes, hyberni temporis frigore nunquam in gla-

in glaciem indurari, quod indicio est, peculiarem quendam salem in aquâ illâ latitare, qui etiam facit, ut pali paludibus infixi, quibus multæ urbis ædes, imò maxima earum pars innituntur, aut impositæ sunt, longo temporis progressu in meros lapides mutentur, & firmum ædificiis impositis fundamentum præbeant. Ex omnibus his indiciis hactenus conjeci, omnes circa urbem illam fontium scaturigines abundare ejusmodi sale, quem Paracelsus Enixum appellat, quandoquidem toto tempore hyberno in paludibus dictis gramen virēs conspexi, indicium certum salis ejusmodi peculiaris ibidem existentis. conjecturā confirmant animalia aquatica, Fontis & vicinarum urbi paludum incolæ, inter quæ haud pauca sunt numero & mures aquatici, quibus in quibusvis aquis vivere non est datum; & testudines incredibili copiâ paludes, & hortos aquâ præterfluente irriguos urbique circumfusos passim perreptantes, adeò ut earum, licet magnatibus in deliciis esse soleant, nulla planè ratio habeatur, eaq; de causâ quivis civiū & rusticorum in vase, quo patinarum in culina elotarum eluviem colligunt porcis objiciendam, 2. aut 3. ejusmodi testudines habeant dicentes, quod ad pinguefaciendum porcos multum conferant ejusmodi animalia in potu habitantia, qui porcis exhibendus est. Ex his autem liquet, aquaticos mures & testudines ejusmodi aquis dulcibus gaudere, quæ aliquo sale temperatæ sunt. Testudines dictas quis capturus manè se confert in prata & pascua, ejusmodi aquis irrigua, ubi alimenta sua quærentes gramina roscida & humida pererrant, idem vesperi, post solis oc-

 casum

caſum facientes, & ad pabulum quærendum redeuntes. Si quem obvium habent, mox in aquam ſe recipiunt: aditu ad aquam intercluſæ caput & caudam ſerpentum capitibus & caudis conſimiles, pedeſque quatuor retrahunt & recondunt ſub teſtam adeò duram, ut vix malleo aliquo fortiore & graviore confringi queat. Incolæ eas cocturi ſtylo aliquo pungunt, ad cujus ſenſum caput & caudam è teſtâ rurſus exerunt mox cultro abſcindenda. Corpore cocto aquâ, ſpontè ſe teſta aperit, ex quâ teſtudo exempta purgatur, ac butyro, vino & aromatibus paratur, haud multum abludens à vitulinâ carne, nec ingrati ſaporis, ideoque inter delicatos cibos numerata ab iis, qui deliciarum liguritionibus dediti ſunt. Equidem mihi perſuadeo, ejuſmodi animalia in cibo adhibita non obeſſe, ſed potius prodeſſe valetudini humanæ, quia in puris aquis domicilia ſua habent.

Hæc pauca mihi experientia mea ſubminiſtravit de his aquis, quibus lignum in lapidem mutatur, imò nec lignum ſolum, verum etiam corium & oſſa animalium. Vidi quoque dimidium panem in lapidem mutatum, undè conjecturâ quiſvis aſſequi poteſt, quanta figendi efficacia in dicto ſale lateat, de quo adhuc plura commemoranda ſunt.

In ruborem dat hæc ligni in lapidem tranſmutatio omnes ignorantiæ fratres ridiculis & putidis ſuis ludibriis ejuſmodi Naturæ miracula ridentes, & negantes, corpus aliquod artis Naturam

ram æmulantis operatione fugacitate sua spoliari, & in constans ac incombustibile corpus transmutari posse. Quodvis lignum igne combustum consumitur, nihil post se relinquens nisi parum cineris salsi; quod tamen ejusmodi Aquâ figente in lapidem transmutatum corpus suum pristinum retinet, & nullo igne consumi potest. Infallibile hoc est argumentum Asininos illos irrisores Artis clarissime refellens. Num aliquo alio argumento aut testimonio Vervecina ejusmodi capita refutari clarius possent? Eum in finem hæc dico, ut ad faciliorem fidem redigantur, & tantâ admiratione non stupescant, ubi in sequentibus à me affirmari audiverint, quod subtilis aliquis Vini Spiritus figentis ejusmodi aquæ operâ in salem fixum, & in igne constantem mutari queat. Cum igitur fieri possit, ut tali transmutatione fugax aliquis Vini Spiritus in fixum & constantem salem abeat, quis eandem Metallis fugacibus constantiam ejusmodi aquâ præstari posse negabit? Quo pacto autem talis operatio, qnæ unicuique impossibilis videtur, effectui danda sit, paucis indicare operæpretium erit, quandoquidem mihi eam non quærenti, ipsa se casu obtulit, nullam apud me fidem tunc temporis inventura, licet mihi aliquis seriò affirmasset.

Paracelsi Sal Enixum, sive meum sal fixum, & omnia solvens eâ est præditum efficaciâ, & virtute, ut omnia igne solvat. Eo quodam tempore Aurum dissolveram viâ sicca, & periculum facturus

rus, an Spiritus Vini tincturam ex eo eliciturus esset, solutione factâ Spiritum Vini ardentem affundere volueram. Sed casu Iuniperi Spiritum in vitrum, quod Aurum solutum continebat, infuderã, erroremq; commissum post infusionem demũ animadverteram. Sepolui igitur vitrum, atq; dimidio anno post, spirit. sanguineo colore tinctum offendi, quem effusum per chartam bibulã transmisi, atq; ità mundatum vitro indidi, ut spiritum ignis calore à tincturâ sejungerem. Sed cum non spiritum, sed Phlegma quoddam insipidum per evaporationem nanscíscerer, reipsâ comperi, quod longo temporis progressu Sal ille fixus spiritum fixum reddiderit, & in rubrum salem, miraculo sane stupendo, coagulaverit.

Idem sal aliud mihi, & quidem majore admiratione dignum experimentum exhibuit. Ab amico quodam donatum erat mihi vitrum, oleo Citri ex mucidis pomis aureis, & citreis destillatione parato, repletum. Redolebat autem oleum illud mucorem, quem ut ipsi adimerem, spirit. salis affundere volui, casuq; errorẽ committens salem meũ Enixum solutum affudi, igneq; destillationẽ perfeci, quæ mihi oleum quidem clarum, sed perpaucum, ac vix dimidiam ejus partem reddidit. Eapropter igne fortiore continuato cum nihil amplius exire vellet, laboris continuatione supersedi. Vitro frigefacto, & ex arenâ exempto, omnem in eo materiam residuam in nigrum carbonẽ conversam, deprehendi, & exemptum ardenti prunæ imposui visurus, num oleum superesset nec ne.

Sed

SedMateria igne consumpta cineres multos reliquit,& fixantem mei salis naturam detexit. Operationem accuratioribus examinibus pervestiganti multa mirabilia innotuerunt, atque ansam præbuerunt, ut Salis Mirabilis nomine postea insigniverim. Alii rem accuratioribus meditationibus perquirant, ut profundiore conspectu ipsa penetrare possint. Qui hujus salis virtutes perspicere nequit, aquilinis profectò destituitur oculis immoto solares radios intuitu aspicientibus, & noctuæ habet oculos, qui in tenebris visu aliquo præditi in meridianâ luce caligant. Admiranda sane res est, quod oleum adeò combustibile paucarum horarum spatio fuerit eò redactum, ut in igne instar carbonis arserit,& canduerit: Ne igitur alicui mirum videatur, quod lignum aliquod multó oleo combustibili abundans longo temporis progressu, & hujus salis adminiculo in lapidem transmutetur. Cuncta hæc casus fortuitus mihi obtulit admiranda aperiens, quorum indagatione sedulâ & accuratâ quin Artis studiosus longè plura indagaturus sit, quis dubitat? Sapienti hæc dicta sufficiunt.

Sequitur Theoriam Praxis demonstrans, quo pacto hic sal parandus, & ad quos usus adhibendus sit, & quàm mirabilia & incredibilia ejus ope tam in Alchimia, quam Medicinâ præstari possint.

I. *De Mirabilis Salis præparatione.*

Hic sal meus Mirabilis ex omnibus salibus vulgaribus Artis adminiculo paratur,& separatur,ex uno

uno tamen facilius, quam ex altero. Non enim ſal Culinarius ſolus, verum etiam & alii, ut ſalpetræ, Vitriolum, & Alumen, apti ſunt, ex quibus eliciatur. Alumen & Vitriolum multis Sulphureis, & Mineralibus abundant qualitatibus, atque ideò multum difficultatis, & laboris ſeparationi objiciunt: Salpetræ autem fugacem, & ardentem jam poſſidet Naturam. Ideò ſales illos miſſos facimus, & Salem Mirabilem paramus ex ſale illo Vulgari, & in culinis uſitato, ope ignis & aquæ ex eo ſeparantes, quicquid eſt terreum, & eodem parato ad gloriam Dei proximique commodum & utilitatem, quantum in nobis ſitum eſt, utentes.

De externa Figura, Colore, Sapore, & Odore Salis Mirabilis.

HIc Sal Mirabilis ritè paratus, ut aqua congelata & conglaciata, aut ut Glacies in conſpectum cadit: ut ſalispetræ cryſtalli in longitudinem concretæ, apparet, clarus item, & pellucidus inſtar glaciei liquatur, ſi linguæ impoſitus fuerit. Sapore nec acuto, nec nimium ſalſo, ſed parum aſtringente linguam ferit. Prunis impoſitus inſtar Salis Communis non ſalit, nec more Salispetræ flammam concipit, nec candens ullum odorem expirat. His dotibus nullus alius ſal pollet.

II. *De*

II. *De externo & interno Usu mei Salis Mirabilis.*

AB initio sciendum est, quod meus Sal Mirabilis maximas vires occulat, utpote qui non tàm acerbus & acutus, ut cæteri Sales ad usum tàm internum quam externum facillimè in Medicinâ admittitur. Externè adhibitus omnia recentia vulnera, ut & ulcera aperta mundat, & sanat, nec corrodit etiam, aut dolores excitat, ut cæteri sales facere solent. In ipso corpore admirandas exercet virtutes, associatus cumprimis ejusmodi rebus, quarum vires auget, & quas in ea loca deducit, in quæ deducantur necesse est. Sal enim ductor & rector est malarum juxta ac bonarum virtutum, easque secum ducit, prout ipsi junctæ fuerint. Sicut nutrimentum Vegetabilium, & Mineralium in solo sale consistit; Ità ab eodem etiam dependet nutrimentum Animalium. Nam si herbæ, caro, panis, & reliqua omnia, quibus vescimur, sale destituerentur, Animalium corpora sustentari, nutriri, & augeri neutiquam possent, quippe quibus confestim moriendum & intereundum esset. Prout cibi igitur probè ac debito modo sale conditi fuerint, pro eo etiam nutrient. Res enim sapore carens ad nutriendum inepta est, ut commune proverbiũ indicat; Quod sapit, nutrit, & quod non sapit, etiam non nutrit.

Ideò Deus omnipotens omnibus Creaturis suũ salem

ſalem dedit, quo nutriuntur & ſuſtentantur, adeò ut non neceſſarium foret, ut cibi ad hominum ſuſtentationem deſtinati ſale condirentur, cum à Naturâ ſale ſuo dotati ſint, niſi peccatum & maledictio cuncta debilitaſſet, & corrupiſſet. Idcircò Naturæ ſuccurrendum, & quæ ſale minus locupletata ſunt, communis & vulgaris ſalis condimentum requirunt, eum in finem à Deo conditi, ut alimentum humano corpori ſuppeditandum roboret, & efficacius reddat, ſicut videre eſt, quod panis, caro, & cuncta olera ſine ſale comedi quidem poſſint, ſed tantum nutrimenti non afferant. In Vulgus enim notum eſt, ſalſam carnem, ſale conſperſos piſces, ac olera ſale condita longè melius ſaturare & nutrire, quam ſi omni ſale deſtituti illi cibi in ſtomachum ingererentur. Eâ de causâ hominibus, improbo labore occupatis panes, carnes, piſces, olera aliique cibi ſale affatim conditi exhibentur, quo corpora ipſorum in debito robore conſerventur: Qui verò duris ejuſmodi laboribus ſe exercere non ſolent, iis non tàm ſalſi, ſed faciliores concoctu cibi ſuppeditantur. Itaq; ſal unicum nutrimentũ eſt non modò vegetabiliũ & Animalium, ſed etiam Mineraliũ; Imo quicquid in Mundo exiſtit, univerſaliter, auget ac nutrit.

Cum igitur manifeſtò conſtet, quod ſine ſale nihil omnino exiſtere, aut vivere queat, & omnium rerum vita in ſolo ſale conſiſtat, teſte experientiâ quotidianâ; Cur ſtulti ſalem tàm exigui momenti rem eſſe arbitrantur? Reſpondeo, illud ideo fieri, quia pauciſſimis admodũ innotuit, quid ſal ſit,

quas

quas vires & virtutes exerat, & quid intimis suis penetralibus reconditum gerat. Ut paulò antè dictum est, jure victori, aut aurigæ salem comparo, quia omnia ea, quæ ipsi imponuntur, eò defert, & provehit, quo vehenda sunt, sive bona, sive mala extiterint, nhil de re laborans, & ei curam committens, à quo onus impositum suscipit. Pari ratione sal rebus bonis, & nutrimentum bonum ac debitum subministrantibus mixtus nutriendi facultatem adjuvat, adjunctiq; nutrimenti vector, corroborator, & auxiliator est. Venenatis & noxiis rebus mixtus, venenum confirmat, auget atq; cum summo corporis detrimento, membris, & meatibus insinuat, quò sine sale venenum penetrare non potuisset. Apud bonos ergo bonus est, & apud malos malus, neutriq; parti addictus bonorum & malorum arbitrio inservit, vulgari proverbio locum faciens: Sal & Vinum acuunt ingenium, si nimirum bonis rebus admixta usu temperato adhibeantur. Sic etiam contrarium verum est, si dicatur: Sal & Vinum depravant ingenium, quod plurimis exemplis hic ob brevitatem operis requisitam prętermissis demonstrare possem. Sermonem tamen meum clariore interpretatione declarandi causâ duo apponam. Uti jam dictum est, si sal bonis ac nutrimentum optimum continentibus subjectis adjunctus fuerit, qualia sunt panis, caro, & olera, ad nutriendum promptiora & aptiora eadem redduntur, si experientiæ quotidianæ, quam nemo inficiabitur, fides ad-

hibenda eſt. Cur ergò & contrarium veriſimile non eſſet, quod malum adhuc pejus reddat, & magis corrumpat, ſi eidem aſſociatus fuerit.

Ex.gr. Argentum Vivum Vulgi venenum exiſtimatur, & revera etiam eſt, majoriq; aut minori qualitati venenatæ obnoxium redditur, prout hanc vel illam præparationem ſubierit. Si dimidiæ unciæ pondere deglutiendum alicui propinaretur, nihil in corpore operaretur, & ſine noxâ recederet. Salibus verò ſublimatum, & venenatâ ſuâ qualitate exaltatum & duorum, trium, aut quatuor granorum pondere exhibitum vitâ ſuâ aliquem ſpoliare poſſet.

Eodem planè modo Auripigmentum, ut ex montibus eruitur, nihil boni præſtat in corpore humano, intolerabiles vomitus, & frequentes, ac validas ſedes excitando, ſi pondus ejus excedatur. Unum tamen, duo, tria, aut quatuor grana ejusdem abſorpta ſine omni periculo vomitus admodum lenes, ſedeſque non vehementes concitant. Communi autem ſale per ſublimationem exaltatum adeò noxium evadit venenum, ut homines & beſtias confeſtim vitâ orbaturum eſſet ſi ipſis propinaretur. Sic etiam cum Arſenico albo comparatum eſt, quod cum ſale ſublimatum malitiam ſibi adſciſcit in vulgus notam, licet paucis malitiæ illius cauſa cognita ſit, quam dicta exempla, veritatis luculenta admodum teſtimonia ſatis ſuperque declarant.

Auctarii loco in imperitorum gratiam adhuc unum

unum addendum eſt. Qui ignis labores tractaverunt, ii hæc noverunt, & meâ doctrinâ non indigent, licet eorum numerus admodùm ſit exiguus, imperitorum verò copia ſatis magna. Arſenicum, & Coboltum vehementiſſima quidẽ ſunt venena, ſed tamen corpori non noxia, ſi corporali ſua formâ non aſſumantur. Salibus verò per ſublimationem exaſperata, & in fugaciorẽ naturam reducta ad eam perveniunt vehementiam, ut ſolo odore hominem interficere poſſint. Hujus rei veritatem experti ſunt ii, qui aquas Gradatorias, ut vocant, paraturi Vitriolo & Salipetræ Arſenicum miſcuerunt. Aquæ tales tàm vehemente veneno pollent, ut alicui vel minimũ ejus odorem naſo haurienti horrendis tremoribus cor concutiatur, cerebrumque ipſum vehementiſſimè debilitetur. Vulgare illud proverbium, ſal corroborat cor, & acuit ingenium, à veritate non abludit, quando ſali res ſalubres, & valetudini convenientes aſſociantur. Sin verò res inſalubres, & venenatæ ipſi adjiciantur, contrarium facit cor ſuffocando, & cerebrum debilitando, quod utrumq; ipſe expertus ſum. Iuvenis olim ejuſmodi Aquis Gradatoriis & Arſenicalibus occupatus cum eſſem, ſæpè mihi uſu venit, ut fortes ejuſmodi ſpiritus ſalini candelam ferè extinxiſſent. Econtrario iterum expertus ſum, quando ſali ſubjecta corroborantia admiſcui, quod ipſorum vires roborantes augeat, & mirum in modum exaltet. Idcircò non abſq; ratione Paracelſus docet, nihil virium exercere Aurum in

humano corpore, nisi per salium spiritus, Auri vires in membra insinuantes, & eas augentes. Dicet hic aliquis, cum cætera Metalla sine sale vires suas in Corpore Humano exerant, quidni & Aurum idem præstaret, si ullis viribus polleret? Huic respondens hujus differentiæ hanc causam esse aio, quod Metalla cætera in scobem aut limaturam redacta in corpus humanum agant, ob salem suum Vitriolatum, quem liquefacta retinent, facilius, propter aciditatem illam naturalem, in stomacho solutionem admittentia, & operationibus suis fungentia, quas operationes Sal adjunctus exasperaturus esset. Enimvero imperfecta Metalla in corpore humano nihil omninò boni efficere, testantur ipsum stannum & cuprum, in quorum vasis vinum per noctem conservatum & ebibitum vomitus excitat, ut & dolores colicos, atq; cordis palpitationes, in quibus excitandis cuprum antecellit stanno minus frequenter ejusmodi accidentia causanti illi cumprimis, quod bismutho non est adulteratum, ideoque purum putum existit. Plumbum deglutitum exsiccat, & nimis vehementer refrigerat. Ferri scobis & ramenta haud absque magnâ utilitate in usum Medicum transferuntur, quippe vermes infantum necantia, & expellentia: Crocus autem ejus medicamentis adstringentibus cum fructu misceri consuevit. Argentum limatum, & absorptum nulli est usui in corpore humano, quod nullum salem secum habeat, quo Ferrum & Cuprum prædita sunt.

ſunt. Sale tamen paratum nanciſcitur in corporis membra aditum, omneſque humores noxios purgando expellit, ac cerebrum confirmat. Palato tamen ingratum adeò amarum obtinet ſaporem, ut felle amarius difficilius ipſo Vitriolo in uſum admittatur. Aurum inter Metalla omnia puritate & nobilitate ſua eminentiſſimum Naturâ ſuâ ſalem nullum poſſidet, eoque nomine nihil prorſus in corpore humano operatur, ſive limatum propinetnr, ſivè in ſubtiliſſimum pulverem redactum exhibeatur. Acidum enim ſtomachi tantarum virium non eſt, ut aurum aggrediatur, & diſſolvat, ſicuti Cuprum & Ferrum ſolvit; ſed cum excrementis eâdem formâ dimittit, quâ accepit. Hinc multorum imperitia eò proceſſit audaciæ, ut Aurum tanquam omnibus viribus deſtitutum, & prorſus inutile ex foro Medico exterminarint, errore profectò non Philoſophico, ſed ſtultiſſimo, & ab imperitiâ & ignorantiâ merâ profectò, cum experientia omninò contrarium teſtetur. Qui vires planè nullas Auro ineſſe credit facili exprimento contrarium comperiet, ſi illud Salis Spiritu probe mundato & rectificato diſſolverit, & hujus ſolutionis parum calido alicui juſculo, aut vino, aut cereviſiæ mixtum ebiberit. Etenim ſentiet celerrimam, & ſaluberrimam operationem, omnes feces ſuperfluas, prout eas offenderit, aut per vomitus, aut ſudorem, aut urinam, aut ſedes ſine ulla corporis debilitatione ejicientem, ſive vires ejusdem

evidenter confirmantem, ut in tractatu meo, cui titulus, Navigantium consolatio, paucis innui, ob brevitatem temporis, quæ mihi prolixiorem hâc de re tractandi occasionem non permiserat. Hoc tamen hîc affero, ejusmodi solutionem Auri per Spiritum Salis in Medicinâ faciendâ plurimum præstare posse, licet ob ingratiorem saporem haud magni æstimetur. Cum enim Spiritus Salis, quo Aurum solvendum est, fortissimus esse debeat, ex hoc corrosivo liquore, sine quo Aurum solvi nequit, primum hoc incommodum oritur, ut injucundioris sit usus, labia denigret, & dentes hebetet. Accedit & hoc, quod magna liquoris copia ad solutionem hanc requiratur, & aciditas sensim ægris fastidium pariat, ipsique ægri quandoque aciditatem perferre nequeant. Porrò cum hac solutione ita comparatum est, ut jusculo epota in operando impediatur, & sperato successu careat, quo tamen non destituitur, si vino aut cerevisiæ mixta propinetur. Eâ de causa etiam hoc medicamentum per se admodum nobile & magni momenti difficilius ad usum adhiberi potest. Quoniam verò Aurum sine salibus nihil omninò operari posse diximus, tota ipsius solutio consistit in tali Menstruo, quod neque corrosivum, neque injucundi saporis, nihilominus Aurum aperiat, & idoneum reddat, ut saluberrimum medicamentum evadere possit, quas dotes ego in nullâ aliâ re offendi, nisi in meo Sale Mirabili, qui omnis corrosionis, & injucunditatis expers per

se

ſe medicamentum eſt optimum, ac omnibus, quæ ſolvit, jucundiſſimam ſuavitatem conciliat. Quando enim Aurum ſolvit, nullo colore labia, & manus inficit, aliarum ſolutionum inſtar, qnæ Aquâ Regiâ, aut Salis Spiritu parantur: Neque etiam, ut cæteræ ſolutiones, adſtringit, ſed ſuavi uſu admittitur, & operatione nobili munus ſuum exequitur. Ideò ſale eodem multa admiranda tentavi, ac tandem inſtar graminis viridem Auri ſolutionem aut potius extractionem, & ſaluberrimum, ac nobiliſſimum Medicamentum nactus ſum. Plurimum enim præſtitit ille, qui Aurum ad viriditatem deduxit, in quâ deprædicanda multi ſunt Philoſophi Antiqui, Beatam Viriditatem eam appellantes. Quid verò eadem Viriditas in Medicinâ efficere valeat, id hujus loci non eſt, cum nihil aliud hîc tractare & probare conſtituerim, niſi quod ſal omnium rerum ſit principium, & finis, atq; omnium rerum vires & virtutes augeat, & exaltet. Cum autem hoc ipſi veritati conſentaneum ſit, & à nemine refelli queat, illud quoque concedatur neceſſe eſt, ſalem aliquem, qualis meus eſt, ad ſummum puritatis gradum deductũ craſſo aliquo & impuro ſale longè meliorem, & nobiliorem eſſe. Quia etiam omnium Animalium, Vegetabilium, & Mineralium vires amplificat, & exaltat, ipſumq; Aurum cæteris omnibus Creaturis quæ ſub ſole inveniuntur nobilitate præſtat, facili conjecturâ provideri poteſt, ſi puriſſima, & nobiliſſima ſalis pars Auro aſſociata fuerit,

etiam nobilissimum medicamentum inde oriturum esse. Sal enim & Aurum, solis filii, quasi immortales sunt, & incorruptibiles, ideò omnibus mortalibus, & corruptibilibus rebus auxilium ferentes, easque ab omni putredine, & corruptione liberas conservantes.

Nemo tamen velim hic sibi persuadeat, quod immortalitatem aliquam his meis verbis asserere cupiam. Eò certè non tendit propositum meum, cum non ignorem, nullam herbam morti medelã afferre posse. Hoc tantum significare constitui, ex Salis & Auri consociatione nobilissimum, & summum Medicamentum necessariò proditurũ esse. Si aliarum rerum vires sal provehit, & promovet, cur & Auri virtutes non proveheret, & promoveret? Nulla profectò herba adeò abjecta, nullus lapis adeò vilis, nullum os adeò contemptum reperitur, quod viribus suis propriis non polleat. Quis igitur inficias ire vellet, & Aurum tanquam nobilissimam Dei creaturam, post solem, & salem, ex quibus natum est, excellentium, & viliorum, creaturarum donis præferendarũ dotium & virtutum possessione frui? Ex duobus præclarissimis subjectis, sale puta, & Auro nihil mali prodiri posse, vel quivis rusticus imperitissimus intelligit, quod cur irrisores illi superbi & otiosi capere & animadvertere nolunt? Ideo arbitror, ne Asinis rudibus & imperitis annumerentur, si dictis meis subscribentes tantum medicamentum in rerum Naturâ existere faterentur, & ipsius confectionẽ tamen ignorarent. Satius verò esset, ut tantâ in-

vidiâ

vidiâ non laborantes ejusmodi dona aliis non inviderent, neque tot putidis calumniis & convitiis innocentes adorirentur, ipsis ea relinquentes, quæ captum suum superare animadvertunt.

Mentionem jam facio mei Viridis Leonis, cujus admirabiles virtutes deprædicandæ, atq; toti Mundo manifestandæ sunt, quamvis probè sciam, hunc Leonem Viridem non pauciores inventurum esse inimicos, quam meum Album aut rubrum Aurum Potabile. Satanas enim tolerare neutiquam potest, ut in Generis Humani usum & commodum quicquam manifestetur, eapropter omnes technas, & omnes vires impendens, ut veritatis impediendæ causâ omnes remoras objiciat.

Quàm variæ artes excogitatæ sunt, ut meum Aurum Potabile in contemptum adduceretur, & quidem ab ejusmodi hominibus, qui facilè cogitare poterant, me talibus Veritatis Osoribus ne guttulam quidem mei Auri Potabilis concessurum esse, licet à me petierint!

Ac cum ejusdem compotes fieri non peterant, ægrotorum prætextu mihi illud extorquere conati sunt, non ut ægris inservirent, sed ansam tantum prensarent contemnendi illud, ac in odium apud ægros adducendi, ne pristinam valetudinem recuperarent. Annon in conventiculis consilia communicarunt, uno hoc, altero aliud in medium producente, ut quâcunq; ratione meum Aurum Potabile oppugnarent? sed odium & invidiam hanc summo studio contrà me susceptam Divinæ Vindictæ relinquo. Etiamsi quamplurimæ

nubes aquosæ & obscuræ solem obscurare, & ejus vivificantibus, & calidis radiis tenebras offundere conarentur, nihil tamen effecturæ, ac tandem in vapores disjectæ, & in nebulas evanescentes, radiis solaribus locum cessuræ essent. Nihil est, quod extinguere possit Veritatem, quæ premi quidem, sed nunquam opprimi potest, perinde ac Lux nullo unquam tempore penitus extinguitur. Aër tot nubibus obscuris nunquam adeò refertus est, quin tandem illis disjectis Sol in conspectum non veniat, & se conspiciendum præbeat: Pari ratione & Veritas tandem ex mendaciorum laqueis se expedit, & in apertum prodit. Intrepido itaque mihi Veritatem proponere licet, etiam plurimis παῤῥησιαν meam ægre ferentibus. Deo enim plus quàm hominibus est obediendum, & beneficia Bonis debita in Malorum gratiam non omittenda sunt.

In nomine Dei ergo mei Salis Mirabilis virtutibus narrandis pergo. Quoniam in præcedentibus dixi, Omnium rerum rectorem esse salem, ipsarum, sibi junctarum vires in loca debita deducentem, consultum non est, ut malæ & venenatæ, sed optimæ res ipsi adjungantur, si boni quid ab ipso expectandum sit.

Nulla verò sub sole creatura nobilior & præstantior est purissimo, & omnium Elementorum destructionem non reformidante Auro, quod cum sine vera solutione, uti diximus, suarum virtutum hominem participem reddere non valeat, &o-

& omnes ſolutiones corrodentes ad ejus ſolutionem ineptæ inveniantur, jure ac merito talis ſolutio requiritur, quæ ſalis non corrodentis ope perficiatur. Talem igitur in manus ſumentes videbimus, quid ab ea boni exſpectandum ſit.

De Uſu mei Salis Mirabilis tàm ad Metallorum ſolutionem, quàm Medicamentorum præparationem.

PRimò notandum, non modò Metalla, ſed etiam cunctos lapides, & oſſa, ac carbones ipſos, omnem ſalium corroſivorum ſolutionem aſpernantes, meo Sale Mirabili radicaliter diſſolvi poſſe, ac plæraſque res ſolutas, ſive Metallicæ fuerint, ſive Vegetabiles, aut Minerales, viridem colorem induere, quarum nonnullæ virides maneant, alias vero temporis decurſu in flavum, aut rubrum colorem mutentur. De hac mirabili mutatione & ſolutione ingens volumen conſarcinare poſſem, ſi in alium locum hic labor mihi non eſſet rejiciendus, nihil aliud hic niſi ſolutionem Auri deſcripturo, quia alia melior inveniri nequit. Cæterorum Metallorum ſolutiones ineptas deprehendi, quæ valetudinis tuendæ aut recuperandæ gratia ad uſum internum adhibeantur, ut paulo ſuprà monui: Salem vero & Aurum nobiliſſima offendi ſubjecta, ex quibus optimum

timum medicamentum neceſſarie paretur. Sal enim omnium rerum virtutes & vires in ſummo perfectionis gradu locat, & corpori humano inſinuat: Hic mihi haud abſimilis videtur volatili & fugaci Vegetabilium, ut vini, & cereviſiæ, &c. ſpiritui, qui in Corpus Humanum veniens Animali Spiritui vires addit, ut ſe promptius & alacrius moveat. Quivis quidem cibus alius, ut & potus, ſive panis ſive aqua fuerit, vires aliquas corpori communicat, ſed non tàm potenter, & efficaciter, quàm vinum aliquod nobile, cujus Spiritus admodum purus, efficax, & ſubtilis eſt, adeò ut nimius ejus uſus omnia in homine occulta expergefaciat, & in apertum proferat.

Eodem planè pacto ſal cuncta confirmat, & auget, iiſque unitus omnes occultas vires patefacit alias in tenebris ſine ſale latituras. Quis nobis manifeſtaſſet, quantum venenum Arſenico occultatum ſit, niſi ſalia illud revelaſſent? Si Melancholicus aliquis aliâs ad tranquillitatem naturâ ſuâ pronus inſtar mortui alicujus deſideat, Spirituale vinum aut alius aliquis potus fortior molancholicum, & quaſi ſomno ſepultum ejus Spiritum mox expergefacit, linguamque taciturnam ſolvit. Idem præſtat ſal, qui omnium rerum viribus incrementa addit, Metallorum cumprimis, quæ manifeſta & nota reddit. Nemini profectò ſine ſale ipſorum venena innotuiſſent, ut de Arſenico & Argento Vivo

paulò

paulò antè dictum eſt. Si hæc ſal in malis ſubjectis operatur, eorum malignitatem dilatando & augendo, quidni & eandem in bonis ſubjectis operationem obiret, & eorum bonitati angmentum adderet? Quia ergò inter Animalia, Vegetabilia, & Mineralia Subjecta Auro & ſale, ex ſole ortis, nullum nobilius, & eminentius ſeſe offert, nefas profectò eſſet utrumque præterire, & viliora ad Medicamenti optimi confectionem quærere, quandoquidem in nullis aliis, ſi vinum & ſalem, atque aurum excipias, tàm excellentes vires ſe conſpiciendas præbent. His igitur acquieſcentes nobiliſſimum ex ipſis Medicamentum parare conabimur.

Proceſſus.

℞. Tres, aut quatuor Salis Mirabilis partes, & unam Auri ad hanc operationem aptati miſce, atque immitte retortæ vitreæ forti, & luto probè munitæ, quam impones igni aperto, gradibus ejus ſenſim auctis, donec vitrum candeat. Ignem urge, & fortiorem per horam continua, ac tandem deſine, ut cuncta refrigeſcant. Retortam exemptam luto libera, aut ità conſtringe, ut lutum materiæ vitro contentæ non miſceatur, & hæc pura maneat, quæ à vitro accuratè ſeparanda, & cum iis, quæ in retortæ collum per ſublimationem elevata ſunt, vitro puro immittenda eſt. Ei colore ſubviridi in aſpe-

aſpectum cadenti affundenda eſt aqua pluvialis, ut leni calore ſolvatur, & ſal cum parte aliquâ Auri cum aquâ miſceatur. Hanc inſtar graminis viridem per chartam bibulam tranſmitte, & partem ejus aliquam deſtillationis auxilio abſtrahe, ut viridis liquor remaneat, nec acuto ſapore linguam feriens, nec corrodens, nec etiam nimis urinam ſapiens, ſed idoneus, qui cum omnibus vehiculis propinetur. Aurum à Sale Enixo non ſolutum poſt ſolutionem invenies, & ad ſimiles labores iterum uſurpabis. Viridi liquore autem mox uti poteris, qui tàm in Medicina, quàm in Alchymiâ multa tibi utilia præſtabit. Qui omne Phlegma uſque ad viridem ſalem abſtrahere, ſalemque ipſum Spiritu Vini Alcoliſato extrahere voluerit, medicamenti efficacioris compos fiet. Spiritus Vini enim non viridem, ſed rubrum colorem extrahendo induens, & ſuavem admodum ſolutionem efficiens, ſalis aureas virtutes efficaciores reddit, & commodius ac promptius membris in humano corpore inſinuat. NB. Notandum hic eſt, quod Sal Enixum non totam Auri maſſam, ſed puriſſimam tantum ejus partem ſolvendo imbibat. Si jam iteratâ hâc operatione ex eadem purâ maſsâ per Spiritum Vini adhuc ſemel, quicquid puriſſimum eſt, extraxeris, extrà omne dubium Medicamentum nobiliſſimum conſequeris, quod nemo refutabit, licet Veritatis inimicus ſit capitalis. Hæc eſt operatio illa non minus compendioſa, quàm vera, ex Auro, Sale & Vino

Vino ſummum parandi Medicamentum, jure ac merito Aurum Potabile nominandum, cujus maximæ virtutes & vires ægris indigentibus jam manifeſtandæ ſunt.

De viribus & virtutibus mei Leonis Viridis, Vitrioli Solis, aut Salis Aurei Mirifici, &c.

VIridis & Aurificus hic Liquor ab omnibus, ſive Senes, ſive Juvenes, ſive ægri ſive ſani fuerint, ſine ullo perſonarum diſcrimine tuto & jucundè uſurpari poteſt, quippe qui nihil mali, & nihil damnoſi continet. Sal mundatus, & Aurum nuſquam & nunquam aliquid mali aut damni inferunt, ſed neceſſaria, quocunque etiam veniant, tàm in Vegetabilibus, quàm Animalibus, & Mineralibus ſalubres ſuas operationes & vires exercent, ut in ſequentibus dilucidè demonſtrabitur.

Primo hic viridis liquor externo aſpectu ſolo cor, cerebrum, & omnes vitales ſpiritus exhilarat, quandoquidem ex omnibus coloribus jucunditate nullus viridi ſuperior eſt, teſtantibus omnibus hominibus, qui poſtquam duriſſimæ & aſperrimæ hyemis frigus intenſum ſuperarunt, ſummâ animi delectatione ſemimortuarum arborum, herbarumque extinctarum renaſcentem verno tempore viriditatem aſpiciunt, & totum corporis ſui ſanguinem renovari, & quaſi reviviſcere, ſummâ cum voluptate, ſentiunt.

Secundo Aureus hic Liquor hauſtus roborat & confirmat totum humidum radicale, ſtomachum, cere-

cerebrum & omnes corporis partes internas, præ cęteris cunctis medicamentis, quæ mihi hactenus innotuerunt. Expellit etiam Melancholiam, & animi anxietates, tollit cordis palpitationes, aperit internorum vasorum obstructiones, læsas partes internas, ut jecur, pulmonem, cæterasque internas ulcerationes sanat, Lithiasi cuicunque & calculo, sive renes, sive vesicam obsederit, medetur, alvum in naturali suo excernendi officio conservat, ventos cum colicis doloribus ejicit, sanguinem à corruptione tutum præstat, leprā, scabiem, & omnis generis febres curat, Podagricos affluxus temporis progressu consumit, Apoplecticis, & Epilepticis insultibus præsentissimam medelam affert, sanguinem scorbuto infectum mundat, à peste, aliisque morbis contagiosis homines præservat, & liberat, ab omnibus internis ulceribus pulmonem, jecur, & cæteras partes defendit, ulcerationesque jam exortas removet, & funditus abigit. Omnes internas hominis partes balsamicâ suâ virtute ità tingit, ut haud facilè morbis obnoxii sanâ & longâ vitâ fruantur. Externo usu adhibitus omnia vulnera recentia non minus, quàm ulcerationes diuturnas & apertas sine omnibus aliis emplastris & unguentis medicatur. Nam in ejusmodi ulceribus curandis ex omnibus Animalibus, Vegetabilibus, & Mineralibus nullū est, quod Auro viribus suis respondeat adeò potenti, ut etiam Hernias internè curet. Auri hæc est natura, & proprietas, ut omnes sordes potentissimè auferat, & si-

& ſimul etiam adſtringat, quæ duo in omnibus ulceribus ſanandis neceſſariò requiruntur: Hic verò ſal auxilio ſuo commodè adeſt, & Auri virtutes mirificè promovet. Cum primis verò Liquor dictus oris & colli ulcera ægrè aliorum medicamentorum opem admittentia, ut & eorundem ſcorbuticam infectionem quàm citiſſimè tollit, licet lingua, uvula, totumque palatum puſtulis ſcateant. Ut compendio dicam, in omnibus internis & externis ulceribus auferendis nullum huic liquori medicamentum præferendum eſſe cenſeo, ac brevitatis causâ plurium aliorum corporis defectuum, quibus medetur, enarratione ſuperſedeo.

Præterea Liquori huic Viridi & Aurifico hæc ineſt natura, & hæ inſunt proprietates, quæ ſuprà omnia alia medicamenta cunctis rebus mirificam fertilitatem conciliant, ut ſignatura ipſius, viridis nempe color, diverſaque mea experimenta infallibilia veriſſimè teſtantur. Hinc cunctorum Vegetabilium ſemina eodem Liquore macerata, & nudæ ac meræ arenæ immiſſa, aureis germinibus & plantis exeunt, multò fortiorem, & jucundiorem odorem, pulchriorem colorem, ac majorem proceritatem habentibus, quàm illæ, quæ ex pingui terrâ enatæ ſunt.

Liquor igitur hic Viridis in omnibus Vegetabilibus fertilibus, & viridibus, reddendis, atque creſcendo augendis primas tenet, ac in fertilitate conciliandâ, conſervandâque inter omnia medi-

G camenta

camenta mihi cognita & perſpecta ſummum locum obtinet. In omnibus enim morbis humanis maximum auxilium & ſolatium affert, ipſaq; marium pariter & fæminarum fertilitate juvandâ ultra fidem operatur, tantumq; Veneris eſt incitamentum, ut non modò ſenibus, apud quos junioribus uxoribus oneratos Venus intermiſſa jacere ſolet, ſed etiam fæminis in florente ætate conſtitutis, & ſterilibus, atq; ideò hæredibus deſtitutis, ſummum ſolatium adfert. Non ſomnians ſcribo, ſed experientiâ doctus, qui nonnullos mares vidi hoc medicamento adeò confirmatos, ut nunquam debiles fuiſſe ſibi viſi fuerint, quod & nonnullæ fæminæ ſunt expertæ. Huic tamen ſexui ſegniori nimis frequenter talia medicamenta non ſunt exhibenda, cum ſine auxiliis ejuſmodi quandoq; ſalaciore, quàm par eſt, pruritu exagitari ſoleant: Senibus tutiore adminiſtratur uſu, utpote ne minimum quidem ipſis damnum inferens. Nec mira cuiquam videri debent ea quæ hic trado, & quæ ſuarum operationum certas & indubitatas cauſas habent. Inſpiciantur duo illa ſubjecta, ſal nimirum, & Aurum, ex quibus Leo Viridis componitur. Optima ſunt, & ad omnium rerum generationem neceſſario requiruntur. Num quæ herbula ſine ſemine & ſale naſci poteſt? Ne minima quidem. Nam ſi terra aut arena ſale careat, ſemen herbæ nec nutrimentum habere nec naſci poteſt. Imò ſi ipſum ſemen terræ etiam pinguiſſimæ inſeratur, & tamen calidis radiis ſolaribus

laribus destituatur, è terrâ nasci neutiquam posset, in quâ ipsi suffocato pereundum esset; quod vel rusticos omnes, calidos solis radios vehementer expetentes, postquam semen terræ mandarunt, minimè latet. Ad felicem igitur Vegetabilium ex terrâ proventum, & augmentum requiruntur pinguis & salsa terra, ac calidus, & fertilis calor solis cum pluviis necessariis, quod & de generatione & multiplicatione Animalium intelligendum est.

NB. In Auro Potabili sal pinguedinis vices gerit, Aurum sol est, ac Spiritus Vini calidæ ac fertilis pluviæ munus obit, sic etiam nulla Mineralia procreantur, nisi solis auxilium, salisque labor accedat. In aquam operationes suas exercent, & Mineralia generant, ut Antiquorum Philosophorum scripta docent.

Imperitus aliquis hic objiciet, & quæret, quî fieri possit, ut sol in profunditate terræ operando ex sale Mineralia & Metalla generet? Is sciat, calidis suis radiis solem in profundo terræ Centralem Ignē excitare, non ignotū illis, qui eruendis ex terrâ metallis occupati calorem nonnunquā adeò propinquum & fortem habent, ut vestibus depositis labori suo vacare, imò eundem quandoque penitus intermittere cogantur, sicut in primâ mei Operis Mineralis parte docui. Nullus igitur mentis suæ compos invenietur, qui se his opponere ausurus sit, cum hoc Veritati maximè conveniat, quod generatio & incrementum in cunctis

Animalibus, Vegetabilibus, & Mineralibus à ſolo ſale & ſole ortum ſuum capiant, & aqua ipſis adjumento eſſe ſoleat.

Siquidem igitur meus Liquor Aureus ex talibus ſubjectis componitur, nihil profectò aliud operari poteſt, quàm fertilitatem, ideò à Naturâ viriditate illâ pulcherrimâ ſignatus, quâ ſibi munus cuncta fertilia reddendi impoſitum ſignificat. Deus nihil fruſtrà notis & ſignis ſuis exornat, ex quibus tanquam ſignaturis ſuis omnium rerum virtutes & vires longè clarius, quàm ex libris innoteſcunt. Signatura enim quâ res à Deo & Natura inſigniuntur, nunquam errat: Errant autem ſæpenumero libri & ſcripta ab hominibus errare conſuetis conſarcinata. Cur Veteres Philoſophi & Poëtæ Venerem amoris & generationis Deam coluerunt, eique ex Maris ſpumâ generatæ pulcherrimam viriditatem attribuerunt? Quid aliud eſt ſpuma à Mari in litus ejecta, niſi ſal, & à calore ſolis exſiccata atque in ſalem redacta? Poëtæ atque in primis Virgilius & Ovidius, viri literatiſſimi, quibus tota Natura innotuit, tàm prolixâ multorum verborum ambage talia non tractaſſent, niſi fabuloſis ſuis ſcriptis maximum illud myſterium Philoſophicum Mundo revelare voluiſſent. Firmiter itaq; aſſero, Viridem hunc Liquorem præcipuum eſſe omnium rerum augendarum medicamentum, ſicuti Viriditas ipſius pulcherrima, & infallibilis experientia teſtantur.

Ocea-

Oceanus, omnis fertilitatis mater, viriditatem quoque suam ostentat, præcipuè iis in locis, quæ plurimo sale referta sunt, & fortissimis radiis solaribus feriuntur. Vulgatissima res est inter Nautas, qui ex ipsâ aquæ in viridiorem colorem mutatione mox colligunt, se jam appropinquasse calidioribus regionibus, in quas sol calidissimos suos radios projicit. In ejusmodi enim locis adeò salsum est mare, ut ignis instar luceat, & splendeat. Urina à mingentibus ex navi in mare desiliens quasi igneas scintillas spargit. Quatuor aquæ partes unam salis continere feruntur. Mediterraneum Mare tantum salis non complectitur, quantum illud, quod inter Hispaniam & Galliam interest, atque in hoc ipso iterum discrimen haud parvum offenditur, cum Hispanicum salsedine Gallicum superet, Oceanusque ipse eò minus sale affluat, quò magis ad septentrionem recedit, eâque de causâ sal quoque tantò minus habeat virium, quò à radiis solis remotior est. Ideò Dani, Sueci, aliæque septentrionales terras incolentes gentes, licet marinæ aquæ affatim habeant, tamen ex eâ salem non conficiunt, sed ex Hispaniâ, aut Galliâ petunt, quod evidentissimum indicium satis superque arguit, quod ab ardentissimis radiis solaribus sal in aquâ elaboretur, atque fertilitatis Universalis causâ producatur. Indicat hoc Maris nomen Germanicum Meer, quod idem est ac si dicas vermeer, i. e. auge, amplifica. Appella-

tio rei apprimè conveniens, quia ſine Mari nihil omninò in terrarum Orbe augetur, & cuncta è contrario ex illo vivant, & augeantur.

Hinc Viridem Colorem omnis fertilitatis indicium & ſignaturam eſſe patet, quod infinitis exemplis demonſtrari poſſet, non tamen hîc ob prolixitatem vitandam neceſſariis, cum res ipſa quaſi manibus oſtendi, & palpari poſſit.

Veritatem oppugnandi causâ poſſent dicire profligati Riſores, viriditatem illam non ex Auro ſed ex Cupro ortum ſuum ducere, ut ità probos à veritate abducant, quoniam Aurum nullum in Medicina uſum habere ipſis videtur, quâ cavillatione meum Aurum potabile antehâc aggreſſi ſunt. Ut eorum impura ora obturem, & ejuſmodi frivolis objectionibus obviem, dico, me quidem fateri, Cuprum inter Metalla viridem obtinere colorem, ſi aquis fortibus, aliiſque liquoribus ejuſmodi corroſivis ſolvatur: Aurum verò iiſdem ſolutum flavo & non viridi colore ſe conſpiciendum dare, quod lippis & tonſoribus eſt notiſſimum. Sed quis me adeò ſtupidum & rudem fore arbitraretur, ut tam apertâ fraude unicuique imponere velim? Quis etiam talem fraudem ullo modo velare poſſet? Cuprum ipſum aquis ſalſis ſolutum confeſtim dolum proderet ſapore ſuo adverſo, nauſeabundo, & Vitriolum ſapiente, cujus vel ùnica gutta abſorpta ingentes excitatura vomitus, & non futura eſſet medicamentum, ſed potius venenum. Porrò ſi

Cul-

cultrum in talem solutionem immitteres, mox cupro obduceretur, & se cupreum esse ostenderet. Contrarium planè accidit, si purum aliquod ferrum meo Viridi Leoni immergatur; mox enim deauratum apparebit, colore auri eminentiore, & pulchriore illo, quo ducatus, aut alius aliquis nummus aureus se conspiciendum exhibet. Si filum aliquod ferreum, aut clavus ferreus in eundem immissus per certum tempus ibidem relinqueretur, tandem in probum & purum Aurum immutatum iri necesse esset, quod infallibili est testimonio, quod non ex Cupro sed Auro Liquor ille originem sumat.

Rursus objici posset, quod vulgaris solutio Auri per Aquam Regiam ferrum etiam aureo colore tingat, & eidem adhærescat, ideoque nemini hoc mirum videatur, utpote vulgatissimum, & cuivis notissimum. Respondeo, quod talis solutio non viridis sed flava per præcipitationem quidem ferro adhæreat, ipsumque ferrum solvat, atque in limum redigat, sed non penetret, atque in suâ formâ conservet, sicuti meus Viridis Liquor ideò corrosivis illis Solutionibus vulgaribus non annumerandus, quem non solutionem, sed potius extractionem per sal Enixum factam jure ac meritò vocaveris. Ejus enim naturæ est Meus Sal Mirabilis, ut tenuem aliquem Auri pulverem, aut calcem non penitus solvat, sed ex eo quicquid purissimum est, solummodò extrahat, reliquum verò ni-

gri pulveris instar relinquat. Ipsa porro solutio non est corrosiva, quæ alioquin ferrum corroderet, dissolveret,& non integrum colore Auri tingeret, & in ejus gradum adduceret. Pari omninò ratione viridis Cupri solutio, aquis corrosivis vulgaribus facta, viridi colore ferro se associat, illud corrodit, & cupri scobem relinquit. Si autem Cuprum meo sale Mirabili solvatur, solutio illa ferrum non penetrat, sed totum in formâ suâ relictum in Cuprum transmutat,non tamen confestim sed longiore temporis progressu.

Ex his omnibus videre est maximum discrimen inter vulgares Auri,Cupri,aliorumque Metallorum solutiones corrosivas, & meam omnis corrosionis expertem,quæ meo sale Mirabili perficitur longè aliâ formâ Metallorum corpora solvente, quàm Corrosivæ illæ Solutiones solvunt. Ideo etiam inter Vulgares solutiones non est referenda, quandoquidem longè aliis viribus pollet. Vulgaris illa Auri solutio per Aquam Regis corrosivam facta omnibus rebus tanquàm venenum nocet. Parum ejus vegetabili alicui semini affusum illud omni facultate crescendi privaret, & penitus necaret: Homini aliquot saltem guttæ propinatæ instar veneni ejus stomachum, & guttur corroderent. Metallum impositum Liquor ejusmodi corrosivâ & rodente suâ facultate in limum converteret. Solutio illa, quæ fit per spiritum salis rectificatum tutius alicui propinari potest, quando aquæ, quantum sufficit, eidem miscetur,

ſcetur; ſuavis autem non eſt, linguam conſtringit, ac manus tingit; Hoc non facit meus Liquor Viridis, neque manus tingens, neque linguam aſtringens, neque etiam Vegetabilium ſemina corrodens, ſed potius ad fertilitatem eadem excitans, quod meo ſali mirabili in eodem ſoluto acceptum eſt ferendum.

Unde conſtat, dictum meum ſalem Mirabilem non corroſivum, ſed per ſe optimum eſſe Medicamentum omnium Animalium, Vegetabilium, & Mineralium, quod experientia ipſa evidentiſſimè arguit. Fieri itaq; non poteſt, quin nil niſi bonum operetur, quippe ſine omni corroſivo paratus, & mirabili ſignaturâ, viridi nempe colore pulcherrimo ob oculos poſitus. Signatura hæc indubitatum eſt indicium virtutum illarum haud vulgarium omnes res vivas, virentes & fertiles reddendi, quas internis ſuis penetralibus abſconditas gerit. Hiſce me imperitorum illorum Ludionum cavillationibus ſtultis & ineptis, quibus mihi inſultare poſſunt, ſatis occuriſſe puto, iiſque ideo acquieſco.

Quæcunq; hic Leoni meo Viridi adſcripſi, eadem quoq; præſtat rubrum meum Aurum Potabile, Spiritu Vini extractum, idq; tàm in Vegetabilibus, & Animalibus, quàm Mineralibus. Nulli enim eorum Spiritus Vini nocere poteſt, ſed potius in Animalibus & Vegetabilibus Auri virtutes quam celerrime inſinuat, & efficaciores reddit.

Sed hæc de ſolutione Auri ejuſque efficaciâ &

 opera-

operatione per ſalem meum Mirabilem in præſentiâ ſufficiunt. Quod ad cæterorum Metallorum ſolutionem attinet, non neceſſe eſt prolixis verbis ejuſdem mentionem facere, aut magnum de eâ volumen conſcribere, cum ex antedictis facilè quis conjicere queat, ejuſmodi Solutiones Salis Mirabilis beneficio factas corroſivis illis longe meliores eſſe. Vitriola Veneris ejus ope parata Vegetabilibus non nocent, ſicuti Vitriolum vulgare, quod omnibus obeſt, eademque corrodendo necat. Vitriolum verò Sale Mirabili confectum creſcendi facultatem in Vegetabilibus mirificè promovet, adeò ut Lunares, Venereæ, Martiales, Ioviales, Mercuriales & Saturninæ herbæ produci queant, mirabilium effectorum operatrices futuræ, in primis ſi facultates vegetabiles & creſcentes Lunarium herbarum Sale Lunæ, Venerearum Sale Veneris, Martialium Sale Martis, Iovialium Sale Iovis, Saturninarum Sale Saturni, & Mercurialium Sale Mercurii augeantur, & promoveantur.

Sapientibus ſatis multa dicta ſunt: Qui vero hactenus dicta captu ſuo apprehendere nequit. Aſinus eſt, & Vervex indignus, cui tam pretioſa arcana offerantur.

Ex hoc fundamento diligens Medicus longè alium medendi modum eruere, & talia ſibi medicamenta parare poſſet, quibus honores & opes conſequeretur. Hactenus à multis annis obſervavi, quaſnam ſibi herbæ facultates & vires

ad-

adſciſcere ſoleant, ſi ex ſubruſâ terrâ Martiali enaſcantur, Martiales nimirum qualitates, & proprietates, licet anteà non Martialis, ſed Solaris, Lunaris, Venereæ, Iovialis, Mercurialis aut Saturninæ proprietatis, & naturæ fuerint.

Quantò magis verò herbarum innata Natura & proprietas roboraretur, & augeretur, ſi fimo animalium non nutrirentur, ſed arenæ potius puræ immitterentur, & Sale Mirabili Metallorum virtutibus imprægnato rigarentur, & ex eo creſcendi facultatis promotionem acquirerent. Longè aliæ profectò herbæ, mirabilium virium & virtutum multò aliarum, colorumque odorumque atque ſaporum longè aliorum enaſcerentur, quàm vulgares ex imo Animalium, & ſale illo terræ ſimplici enaſci ſolent.

Hoc medio cunctarum herbarum ſeminibus conciliari poſſet attractiva facultas adeò fortis, ut magnetica vi Aſtrales virtutes & influentias ad ſe attracturæ, & ità ſuas vires aucturæ eſſent, ut iiſdem ſine omni præparatione, & cum ſumma admiratione omnes morbi ſanari poſſent. NB. Neceſſe autem eſſet, ut quis herbarum Naturam exactè calleret, quò facultates vegetantes & creſcentes herbarum Solarium Aureo, Lunarium Lunari, Iovialium Iovial i, Venerearum Venereo, &c. Sale ad vegetationem & creſcendi promptitudinem promovere noſſet, nec omnia omnibus ſine ullâ conſideratione miſceret, quod proculdubio ſucceſſui ſperato remoram objecturum eſſet.

Hæc velim accuratè mediteris, ut ſecreta & arcana maxima, in receſſu ſuo ea habentia, quæ Mundo perverſiſſimo revelari nolunt. Sapienti ſat: Plura non addo.

do. Nullum verò mihi dnbium est, quin hæc mei Salis Mirabilis revelatio temporis progressu diligentibus Medicis accepta sit futura, & tantum commodi allatura, ut ægros solandi & curandi gratiâ multum adhuc boni eodem effecturi sint. Omnia tempus habent; sicuti & hoc arcanum, quod suo tempore in vigore erit. Nolim autem, ut quisquam sibi persuadeat, se mei Salis Mirabilis confectionem confestim ex me expiscaturum esse. Ingratis porcis margaritas non objiciam, sed amicis reservabo. Ne autem Osoribus, & ignorantibus Irrisoribus meis fenestra aperiatur ad me criminandum & calumniandum, quasi ejusmodi salis parandi ipse rudis & ignarus essem, constitui diversis Viris prudentibus non solum ipsius salis, sed etiam eorum Salium, qui jam Auri, Argenti, aliorumque Metallorum viribus imbuti sunt, portiunculas aliquas tradere, ut omni tempore Veritatis testimonia luculenta exhibere queant. Herbas vero ipsas Metallicas faciam, ut in promptu habeam, & aliis ostendam.

Non est igitur, ut mihi quis literis suis negotium facessat, aut Salem illum, & Medicamenta alia à me petat. Nemini enim vel minimum tradam, nisi illi quem novero, & cui familiaris sum.

Summæ gratiæ sunt habendæ Deo Omnipotenti, qui tot magnalium præsentem hunc Mundum indignissimum participem reddit. Quæsivi, & viam aliis aperui. Alius item quærat, & monstratam ingrediatur, ut faciliore labore vestigiis meis insistens Lumen Naturæ majus consequatur.

Ut autem nihil omninò eorum, quæ ad bonam institutionem & doctrinam pertinent, ac salis gloriam & honorem concernunt, reliquum faciam, auctarii loco addam adhuc unum testimonium infallibile, quod vel imperitissimo cuivis evidentissimè ob oculos ponet, omnem fertilitatem in solo sale consistere, ac prætiosissimum totius Mundi thesaurum ad bonam corporis valetudinem

titudinem, & opes ampliſſimas conquirendas in eodem latitare.

Fertilitas quidem ipſa jam in præcedentibus plurimis teſtimoniis demonſtrata eſt: Sed quoniam Prophetæ Eliſæi hiſtoria non ineptè his meis dictis convenit, & luculento teſtimonio eſſe poteſt, eam hîc adjungere operæpretium duxi. Lib. II. Regum, cap. 19. hæc leguntur verba: Et viri civitatis dicebant Eliſæ: *En bonum eſt habitare in hac civitate, ſicut Dominus videt; ſed aqua eſt mala, & terra circumjacens ſterilis eſt. Afferte mihi huc*, inquit ille, *novam pateram ſale repletam.* Hâc allatâ ibat ad ſcaturiginem, in quam ſalem injiciebat dicens: *Ità dicit Dominus; Hanc aquam ſanavi; Nulla impoſterum mors aut ſterilitas inde orietur:* Ità aqua eſt ſanata uſque ad hanc horam ſecundum verbæ Eliſæ, quæ loquutus eſt.

Ut maximum hoc myſterium melius intelligatur, neceſſariò prius ipſa hiſtoria aliquantum conſideranda erit, ex quâ innoteſcet, quo pacto Eliſæ ſal adeò fortis evaſerit, ut mortem expulerit, & aquam bonam, ipſamque ſterilem terram fertilem reddiderit.

Cum Elias in cœlum avehendus eſſet, Eliſæ dixit; Pete à me, quod tibi faciam, antequam abs te avellar. Ab Eliâ petiit Eliſa, ut ſibi ſuum ſpiritum duplum concederet. Reſpondebat Elias, *durum eſt, quod petiiſti: Si me abs te ablatum videre poteris, voti compos eris, ſin minus, nihil obtinebis.* Cum autem à ſeinvicem diſcederent, & ipſe loqueretur, ecce venit igneus currus cum igneis equis, qui utrumque ſeparabat. Sic Elias igneo curru in cœlum vectus eſt: Eliſa autem hoc videns clamabat; *Mi Pater, Mi Pater,* &c. Auſculta igitur; Cur Elias Eliſæ dicebat: Si me videris, quando abs te ablatus fuero, voti tui compos eris alias non? Cur autem hac conditione? Annon Elias pro arbitrio ſuo Eliſam compotem voti reddere potuiſſet? Forſan admodum facilè. Sed Elias hoc facere noluit ſine medio aliquo, quia Eliſa prius à cœ-

à cœlesti igne, quo ab Elia separabatur, dupliciter saliendus erat: Nam Ignis Salem parit, Ignis cœlestis Cœlestem, & Ignis Elementaris Elementarem Salem.

Ignis hic, qui Eliam ab Elisa sejunxit, Cœlestis erat ignis, cœlestem salem in Elisa operatus, & quidem adeò fortiter, ut fide sua mortem abegerit, & aquæ bonitatem, terræq; fertilitatem reddiderit. Proculdubiò patera plena salis terræ tantum spatium fertile non reddidisset, nisi Virtus Divina, sive Sal Divinus in ipso tantâ copiâ fuisset, & hoc miraculum præstitisset. In ipso facto autem salem tanquam medium quoddam adhibuit, Eliam imitatus, qui Igne usus est. Pius hic Propheta Elisa probè à suo Magistro Propheta Elia igne Cœlesti, tanquam Cœlesti sale salitus & conditus est, usq; ad intima etiam ossa, quæ si Divino sale non fuissent conspersa, post ejus obitum à morte non suscitassent defunctum, qui ipsa attigerat. Sine sale nulla vita est: salis est mortem vincere, ut suprà docuimus. Ideò Christus ex mero Sale Divino, & igne Divino natus, cum inter vivos adhuc ambularet, tot mortuos resuscitavit, & post mortem suam omnes eos vivificat, qui in ipsum credunt, vivificantem ejus salem Divinum quærunt, & gustare cupiunt, quos omnes ab æterna morte conservat: In hac historia nostris oculis subjicitur Lumem Æternum & Divinum, ac Naturale, licet utrumque à paucis cernatur, eò quod corda ipsorum horrenda cœcitate obscurata & indurata sunt.

Talibus autem mysteriis utrumq; Testamentum Vetus & Novū referta sunt, ità ut audacter affirmare ausim, omnes animæ & corporis thesauros in S. Scriptura perfectè reperiri, nec ulla Ethnicorum Philosophorū lectione, si velimus, nobis opus esse. Addimus autem hoc unum, Dei solius esse, oculos aperire illis, qui Divina & Naturalia mysteria nosse debent & cupiunt. Sine Divina enim illuminatione cuncta tenebris sepulta & mortua sunt.

Veritas hæc omnium Ludionum, & Agyrtarum Diabolicas cavillationes & calumnias disjicit. Quis autem illorū se ipsi opponet, & fertilitatem aliunde quàm à sale petet?

Nemo

Nemo equidem ut credo, nisi profligatissimus ille Farneus cum perditissimis suis asseclis, qui volunt & statuunt, salem non pinguefacere, sed ipsum fimum, cum tamen priori, & non posteriori hoc acceptum ferendum sit.

Quàm turpiter autem se dant Asinini hi fratres ignorantiæ, ab ipsa Veritate evidentissima, quæ vel manibus palpari potest, putidorum suorum mendaciorum convicti, quibus impura & impudica sua ora satis superq; obturata esse spero. Acquiesco igitur hâc demonstratione, quâ me satis evidenter probasse puto, salem & solem nobilissimas Dei Creaturas esse, ipsumq; salem jure ac meritò maximum Mundi thesaurũ, maximasq; divitias à me appellari, quia more loquendi terreno nihil fertilitate exoptabilius esse potest. Omnis fertilitatis origo est sal, salis origo sol, solis autem Deus omnium rerum Creator, cujus nomini sit honos & gloria in æternum, Amen.

Quanquam autem hæc demonstratio, quæ evidentissimè, salem in Mundo thesaurum maximum esse, demonstrat, clarissima, & extrà omne dubium posita sit, nullum tamen mihi dubium est, quin avaris non sit satisfactura, ideò dicturis: Ubinam manet Lapis Philosophorum, quem totius Mundi maximum thesaurum æstimatum abs te expectaveramus, ut eo cognito & acquisito sumptuosam vitam degere possemus? Sed expecta quæso, amice, donec alquis veniat, & sordidos Euclíones tanti doni participes reddat. Num putas, si ejus compos essem, me tam claris verbis tantum mysterium descripturũ esse, sicut terræ fertilitatem descripsi. Minimè gentium. Neque etiam illud faciendi potestas mihi data est, quandoquidem homo nemini ea dare potest, quæ non sua, sed Dei sunt. Ut tamẽ pius Veritatis Inquisitor ad tanti momenti opus aliqua saltẽ manuductione introducatur, non possũ quin parvum illud lumẽ per Divinam gratiam mihi concessum accendam, & in aperto statuam: Si modo ipse non habuerit Noctuæ oculos, Lumen Naturæ vitantes, & ipsius splendorem non ferentes, quibus si caruerit, fieri non poterit, quin oculis apertis Veritati visæ & cognitæ fidem

ad-

adhibiturus sit. De tanto Opere autem hæc est sententia mea, fieri omninò posse, ut nobilissima margarita, universalis nimirum Medicina, & Lapis Philosophorum ægra Hominum, & Metallorum corpora pristrinæ sanitati restituens ex Vulgari Sale paretur. De præparatione mihi ignotâ nihil certi affirmare possum. Fieri illud posse ut credam, multiplex & infallibilis experienria mihi fidem fecit: Eam habeo & conservo, nec ab ea me à quoquam abstrahi patior, cujus etiam pios lubenti animo participes facerem, si possem, aut auderem. Verum quoniam Fides à solo Deo nobis efficitur, ab eodem precibus quoque impetranda, & non ab hominibus expectanda est.

Promissis igitur staturus ut demonstrem, Philosophorum Lapidem etiam in sale absconditum Artis beneficio erui posse, Divinorum Mysteriorum studioso hoc unicum peto, ut in scriptis meis nuper editis inquirat ea, quæ de pisciculo Echineide memoriæ prodidi, quo pacto nimirum ex Mari salso exrrahi possit jaculo; ibi enim manuductionem sufficientem offendet, de qua ut plura hic tradantur, necessarium non est.

Hæc sunt, quæ in Nobilissimi salis honorem adhuc adjungere volui. Qui universalis & particularis Medicinæ margaritam nobilissimã intimis penetralibus salis inclusam esse non credit, ei adjumento esse nequeo. Liberum est unicuique aliam viam quærere & ingredi.

Si nimis longum non foret, etiam liquidò probarem, ex marinis illis corporibus, Coraliis nimirum, matre perlarum, conchyliis, cochlearum testis, & similibus aliis, si in aquam solvantur, ac postea præcipitentur, corporale Aurum extrahi posse, quod propriis meis manibus feci, atque idcircò audacter testari possum.

Sed manum de tabula removeo, quoniam hactenus dicta, hac vice sufficiunt; ex quibus alios adhuc aliquid boni consequuturos & percepturos esse spero & confido: His, omnibusque piis Divinam benedictionem ex anima precor: Amen.

FINIS.